Perlegi hunc librum, cui Titulus, [*Præcipuorum Theologiæ Capitum Enchiridion Didacticum*] in quo nihil reperio fidei Ecclesiæ *Anglicanæ*, aut bonis moribus contrarium.

Ex Æd. Lond. Oct. 12. 1664.

Tho. Grigg. R. in Christo Patri D. Humfr. Episc. Lond. à Sac. Dom.

Perlegi hunc librum, cui Titulus, [*Præcipuorum Theologiæ Capitum Enchiridion Didacticum*] in quo nihil reperio fidei Ecclesiæ *Anglicanæ*, aut bonis moribus contrarium.

Ex Æd. Lond. Oct. 12. 1664.

Tho. Grigg. R. in Christo Patri D. Humfr. Episc. Lond. à Sac. Dom.

Præcipuorum Theologiæ Capitum

ENCHIRIDION DIDACTICUM:

Cum Appendiculâ Practicâ

DE

COENÂ DOMINI.

Quibus accessit Symboli Apostolici, & Precationis Dominicæ Expositio.

In gratiam (potissimùm) Studiosæ Juventutis.

Authore *T. Tullio*, Aulæ *S. Edmundi* apud *Oxonienses* Principali.

Editio Tertia, postremùm nunc recognita, atque aucta.

Joh. 9. 4. ---- *Dum Dies est; Nox venit, quum nemo potest operari.*
Horat. *Sapere aude.*

LONDINI,
Typis *Guil. Downing*, Impensis *F. Oxlad* Sen. Bibliopolæ *Oxon. Anno Dom.* MDCLXXIII.

STACK

Ad Lectorem.

MAgnifici pompam Propylæi magna poſtulant ædificia, (certe quidem haud reſpuunt,) quam tamen humilis caſa erubeſcit verecundia. Non eſt igitur hic permultis præfandum. Do tantum Lectori benevolo ſuſcepti opuſculi conſilium.

Nimirum ei quærere in proclivi fore ſuſpicor, cur tot inter Chriſtianæ Religionis Syſtematum examina (qua domeſtica, qua peregrina) in ore, oculiſque omnium, cum debita laude volitantia, noſtrum quoque ſe ingerat ENCHIRIDION. Rem totam paucis habeto. Ex iſta ſcilicet, quàs modo diximus, fæ-

cunda hujuſmodi lucubrationum familia, cum aliæ aut prolixitate *ſua, aut ingratis fortaſſe* minutiloquiis *& ſubtilitatibus Juventuti, aliæ autem aliunde minus nobis placerent, viſum eſt iſtis omnibus, (qua quidem pro modulo noſtro liceret) ire obviam incommodis : quod in hoc* Enchiridio *præſtitum eſſe, non ſum uſque adeo* Suffenus, *ut ſomniem; præſtare tantum volui; de eventu, æquum eſt ut ipſe, Lector Cordate, pro Candore tuo ſententiam feras. Certe hic pluribus prodeſſe, Neophytos potiſſimum loquor, & in re Theologica minus exercitatos, in animo cum primis habuiſſe, teſtes appello* mille, Conſcientiam *ſcilicet, & pluſquam mille,* Cordium Scrutatorem, *Deum.*

Ad veritatis autem vitæque cœleſtis compendium (quo Homini Chriſtiano antiquius nihil eſſe par eſt)

est) *tenellos & rudiores adhuc circa Religionem animos, tum stabiles, neque tardos insuper effingere, quanti interfit, nemo non videt. Viderunt utique primi illi Religionis Reformatæ præclari Pugiles, quibus erat cum hoste callidissimo, frontisque omnium in Terris durissimæ, (quamvis & eodem ignavissimo) prælidandum. Viderunt ipsi tandem Papicolæ, quos Adversæ partis virtutem si laudare vetabat livor, æmulari monuit versutia: iisdem scilicet ipsi vestigiis in via sua errorum* Lata *consulto insistebant, quibus in* Angustiore *veritatis præibant Reformati. Hinc illorum quoque tot indies* (*hoc maxime [illegible] seculo*) *blandiloquentiæ Popularis & Sophisticæ gramine obtecti. Religionem à Calcaneo impetunt Anguiculi Chartacei. Quo magis mirari subit quæ secum intus versent consilia,*

lia, qui etiam infensissimo (hinc inde) Religioni Seculo, in Theologiam Systematicam *omnem &* Catecheticam *tam iniquo sint animo, ut vix nomen ipsum sine sannis excipiant, idque unde sola Dei oracula personare oportuit. Cum tamen ipsi fortasse ne in uno quidem aliquo Systemate vel quinas legendi simul pagellas labore defungi sustinuerint. At* si judicas cognosce, *vetus monet Ethnici Tragœdi* γνῶμη, *nec Euangelicæ simplicitati convenit, ut præjudiciis abrepti de iis male loquamur Homines, quæ nondum satis explorarunt. Loquor tantum in genere de utilissima ista (ut ne dicam necessaria) docendi ratione, temporibus potissimum in veritatem pessime animatis. Nullius ego Scriptoris aut* importunos affectus, *aut* impar judicium *defendo. Ipsi omnes quorum id interest sibi viderint, tanquam*

quam olim rationem reddituri Deo. Verum quid opus eſt in rem non innocuam modo, ſed animabus ſaltem rudioribus uſq; adeo ſalutarem, ſtricto quaſi gladio, deſævire? Haud ita quidem (ut labentium ſeculorum Doctores taceam) priſci ſapuere Patres Eccleſiæ: Non micantiſſimum iſtud Cœli Alexandrini Trigonum, Clemens, Origenes, Cyrillus, *quorum & ſuos intermiſcet radios illuſtre* Hipponis *ſidus; Hic, conſiliis, Illi exemplis quoque inter Catecheticos reponendi. Quanquam quid illis immorandum, cum eandem Doctrinæ methodum tum in Eccleſia vetere Judaica, tum in ipſa quoque Apoſtolica viguiſſe conſtat. Ultimamque (ut verbo dicam) plus ſatis experiundo compertum haud eſſet, quales iſta & Chriſtianos parere ſoleat & Theologos diſſentiendi prurigo. Solidæ nimirum Theologiæ*

gia Subſellia & Scripturarum Thronum hinc comptulæ occupant Rhetoricationes; illinc mirifice ſibi blandientes, & magno apparatu in ſcenam *veluti prodeuntes pellucidæ & elumbes* ratiunculæ. *Hinc etiam, ſi quid minus in Theologia* Reformatâ *placet, ſive ex æſtro* novaturiendi, *& captandæ* Famæ, *ſive* maligno *in Perſonam animo, ſive* Veritatis, *quam toties* Manu data *profeſſi ſunt,* taſidio; *ceu demum* gratiæ *& favoris alicujus honeſto parum aucupio,* (*quicquid ſit, Juſtus olim Deus judicabit*) *hinc, inquam, apud nonnullos* Calviniſmi *Hoc nomine, velut iniuſto ſtigmate, notatur; nec, ſi oderis, quenquam proclive eſt* ingenioſius (*ſi non tutius*) publicæ *Cenſuræ victimam ſacrare.* In ea nimirum Tempora reſervamur! *Quod tamen æquius ferendum eſſet, ſi Blaterones Iſti ſuæ ſaltem venerandæ* Matri

parcerent Eccleſiæ, *neque in illius* Fidem, *Articulis ſuis atque Homiliis* toties, *&* tam diſertè *definitam*, (*Reverentia omni, & pudore defricato*) *quaſi manu facta, inſurgerent.* Nota *&* Experta *loquor. Majores interim noſtri* (*æterni illa nominis loquor Eccleſiæ præſidia, dulciſſima decora*) *non iſtis ſcalis ſtramineis ad Theologiæ culmen aſcenderunt, non iſtam ad cognitionem Dei ſalutarem & Animarum compendia viam Poſteris indigitarunt.*

Sed tibi Lector, ut perito, loquor, judica quæ dico. Factum mihi ſatis fuerit ſi in hoc opuſculo neminem lædam (*nedum veritatem*) *&* (*bono cum Deo*) *proſim nonnullis.*

Cæterum ne quid honorandæ Matri Eccleſiæ Anglicanæ (*nedum Scripturæ*) *minus conſentiens, curvenit, nec ſatis perito, calamo excideret; ante petitam* (*de more*) *Typorum*

porum Copiam, exhibendum curavi opuſculum una cum Additamentis, Viro admodum Reverendo, & in Cœlo Eccleſiæ non Loci magis quam Meriti ſui Claritate præfulgenti, *qui oculis Aquilinis perluſtratum (ita enim ſe noſtro rogatu facilem demittere ſibi placuit) remiſit, (ne quid dicam invidioſius)* ſine probro; *quinetiam, publici Juris facerem Hortator extitit.*

Supereſt hæc duo porro moneam, me primo ſcilicet in Textibus S. Scripturæ appellandis neque credulam neque perfunctoriam (pro modici rationem otii) adhibuiſſe operam, quod tibi non ingratum fore confido: neq; enim hoc ad pompam *feci, aut gratiam* popularem, *quod cum Homine Chriſtiano indignum ſit, Theologo turpiſſimum exiſtimo. Sed neque* Inſipientem *illum in Euangelio imitandum cenſuerim, qui* ædificavit

ſine

ſine fundamento. *Et ſane qui in rebus Divinis neglecta duce Scriptura occupatur, ut dicam molliſſime, nimiam ſuæ lippitudinis fiduciam, nec divinæ lucis idoneam prodit reverentiam.* Proximus Atheiſmo gradus eſt ſine fundamento fides. *Sit mihi ſemper (cum Auguſtino) in Theologicis*, pro omni ratione, *DEUS DIXIT. Porro poſcit interdum Res (quod examen inſtituenti conſtare poterit) ut in Juventutis præcipue gratiam plures ſubinde citentur Textus, facto tamen delectu, qualem ſcilicet tenuitati noſtræ adhibere licuit.*

Quin & ſecundo Eccleſiæ noſtræ hic illic accommodata ſuffragia (ne iſta quoq; Juventutem ingenuam lateant) ſiqua in libelli corpore haud occurrunt, cum Elencho capitum ad finem rejeci. Id autem non eo conſilio, ut Eccleſiæ ſententiam ex meo ipſius modulo

dimetiar

dimetiar (abſit à me talis arrogantia) ſed ut meam potius ad illius exigam; quam ſicubi non ſatis aſſecutus videbor, (à qua certe prudens ſciens nullibi deflexerim) tamen venerandæ matris (qua potui fide ſimul, & diligentia) preſſiſſe veſtigia, facilem, uti ſpero, veniam ab æquis rerum æſtimatoribus conſequetur.

Sed Tituli (quod in quoſdam jocatus eſt olim Plinius) oblitus videbor. Vale, Lector benevole, & quod dextra manu porrigitur, ſiniſtra ne accipias precor.

PRÆCI-

PRÆCIPUORUM THEOLOGIÆ CAPITUM

Tractatio brevis, per modum Dialogi.

CAP. I. *De Sacra Scriptura.*

A. *Quid eſt Religio?*

B. Eſt vis illa (ſive virtus) creaturæ rationali [a] divinitus impreſſa, quâ tenetur obſtricta [b] ad cultum & obſequium Dei. [a] *Ro.* 1. 19. [b] *Rom.* 1. 21.

A. *Quænam eſt regula (ſive norma) cultus [a] Veri & Chriſtiani?* [a] Jac. 1. 27.

B. Voluntas unius Dei. *Deut.* 12. 32. *Mat.* 15. 9.

A. *Vnde autem iſta Hominibus innoteſcit voluntas?*

B. Ante legem à Moſe traditam (quin & ſub

ſub lege) [b] multiformiter, in ſacris vero [c] Scripturis [d] pleniſſimè poſtmodum [e] patefacta. [b] *Heb.*1.1. 1 *Sam.*28.6. [c] *Iſa.* 8.20. 2 *Tim.*3.15. *Pſal.*119.133. [d] 2 *Tim.* 3.16.17. [e] *Mic.*6.8.

A. *Voluntatem ſuam hominibus revelatam cur ſcriptis conſignari voluit Deus?*

B. Ob majorem [a] fidei certitudinem, quæ aliàs, humana partim infirmitate, partim malitia, aſtúque Satanæ, decurſu temporum facilius corrumperetur. [a] *Joh.*20.31. 2 *Pet.*1.19.

A. *Ad normam religionis conſtituendam (quam Scripturam eſſe dixiſti) quæ potiſſimum requiruntur?*

B. Tria, *Authoritas*, *Perfectio*, & *Perſpicuitas*.

A. *Qualis autem eſt Scripturæ S.* Authoritas?

B. Planè divina, cum ſit ab ipſo Deo aut [a] edita, aut [b] inſpirata. [a] *Exod.*31.18. *Hoſ.*8.12. [b] *Neh.*9.30. 2 *Pet.*1.21.

A. *Quid autem inde conſequetur?*

B. Authoritatem iſtam eſſe tum [a] infallibilem, tum [b] irrefragabilem. [a] *Tit.*1.2. [b] *Rom.*9.20. *Num.*23.19.

A. *At ſepoſito ipſius Scripturæ de ſe teſtimonio, poteritne palam fieri eam illi authoritatem deberi tanquam verbo Divino?*

B. Poteſt, hominibus ſaltem [a] cordatis, & [b] veri amantibus. [a] 2 *Cor.* 4. 3, 4. 1 *Cor.*2.14. [b] *Prov.*2. ad *v.*6.

A. *Vnde*

A. *Vnde vero?*

B. Aut quæris de cauſa *efficiente primariâ*, aut de cauſis *miniſterialibus, intermediis*, & (quæ vulgo appellantur) *motivis*.

A. *Cedò cauſam principem.*

B. Ea alia eſſe non poteſt, quàm [*a*] Spiritus ille veritatis, qui *ejuſmodi* (ut lubet) [*b*] *omnia operatur in omnibus*. [*a*] *Joh.* 16. 13. [*b*] 1 *Cor.* 12. 6. ad 10.

A. *Quænam ſunt cauſæ* iſtæ (*quas modò vocaſti*) intermediæ?

B. Duúm ſunt generum; aliæ internæ, ex ipſa ſcilicet Scripturarum divina indole, proprietatibus & effectis deſumptæ, aliæ autem extrinſecùs accerſitæ.

A. *Da cauſas iſtius aſſenſus* internas.

B. Sunt iſtæ *materia* ([*a*] pietatem omne genus & bonos mores ubique redolens) *ſenſuum*, in ſtylo etiam (ubi is occurrit) humiliore [*b*] *majeſtas*, & humano major ingenio [*c*] *profunditas*, [*d*] Prophetiarum de rebus maximis adimpleta *veritas*, [*e*] vis illa ineluctabilis & planè divina [*f*] infidelium quoque cordibus, nedum [*g*] credentibus, multiformiter impreſſa, & ſiqua demum ſint iſtis ſimilia. [*a*] *Pſ.* 19. 8, 9. & *Pſ.* 119. *paſſim.* [*b*] 1 *Cor.* 2. 4. [*c*] 1 *Cor.* 2. 7, 10. [*d*] 1 *Pet.* 1. 10, 11. 1 *Cor.* 15. 3, 4. [*e*] *Heb.* 4. 12. [*f*] *Mar.* 6. 20. *Act.* 24. 25. [*g*] *Pſ.* 19. 7. ad 10. & *Pſ.* 119. *paſſim.* *Act.* 4. 20.

A. *Da cauſas* externas.

B. Sunt iſtæ etiam multimodæ:

1. Ipſorum Amanuenſium θεοπνεύστων de Scriptura (præſertim Evangelica (*a*)) idque tot & tantis miraculis firmatum teſtimonium, de quo nulla poteſt apud æquos rerum æſtimatores oboriri ſuſpicio.

2. Conſtans & perpetua *Eccleſiæ Traditio*, eaque tot ſuorum tantiſque periculis, imo & frequentibus martyriis propugnata.

3. Conatus inimicorum Diabolici ad Scripturam penitus delendam irriti.

4. Judæorum Euangelio hoſtium infenſiſſimorum ſuffragia Veteri Teſtamento exhibita, cum quo Novum in ſubſtantialibus omnino congruit. (*a*) *Act.* 2. 22. & 5. 12.

A. *Annon ergo pendet Sacrorum codicum Authoritas ex teſtimonio Eccleſiæ?*

B. Nequaquam; Nam primò inde ſequeretur authoritatem Scrip. non eſſe divinam, ſed humanam, & conſequenter (*a*) incertam & fallibilem, (quod Atheiſmum ſapit,) cùm hoc dato *non eſſet verbum Dei, ſed verbum hominis.* [*a*] *Rom.* 3 4.

A. *Da alteram, ſi habes, rationem.*

B. Illa ſumi poteſt ex abſurdo: Nam Eccleſiæ in confeſſo nulla ſunt omnino (*a*) indicia, nedum Authoritas, niſi Scripturæ ſacræ in ſolidum ſuffulta; proinde hæc ab illis pendet, non vice verſa. (*a*) *Mat.* 16. 18. *Iſ.* 8. 20.

A. *Quænam*

A. *Quænam ergo partes tribuendæ ſunt in hoc negotio Eccleſiæ?*

B. Teſtimonium præbere verum Scripturis, eaſque populis ſuis, ut omni acceptatione dignas commendare, quo maxime ſenſu hoc elogio ornatur Eccleſia, quod ſit *columna & firmamentum veritatis.* 1 Tim. 3. 15.

A. *Nullus verò in hac provincia locus Rationi debetur?*

B. Mirum eſt quos hic ſibi nodos in ſcirpo fecerint, qui (quod in omnibus fere controverſiis uſu venit) quà Affectuum prava intemperie, qua præcipitis Judicii caligine ad extrema proruunt. Itaque primò diſtinguendum arbitror de Ratione, quæ nimirum ſumitur aut *propriè & formaliter*, pro ipſa *Facultate*, aut *figurate*, & *quoad materiam*, *i. e.* pro rebus ipſis ratione recta definitis, ſive Principia fuerint, ſive Concluſiones, eæque vel practicæ, vel ſpeculativæ.

A. *Quid illinc efficiendum?*

B. Ratio priore ſenſu Regula eſſe non poteſt, ut neque poſteriore, Judex.

A. *Quidni priore Regula?*

B. Quia Ratio eſt quæ ad Regulam accommodat, proinde non ipſam eſſe Regulam tutò concluditur, ut neque manum eſſe menſuram qua metitur.

A. *An ergo Judicem fateris?*

B. (*a*) Ita, modò ſubordinatum (ſupremo

ſcilicèt in Scripturis pronuntianti Sancto Spiritui) & in hoc lapſo rerum humanarum ſtatu, fallibilem, imò circa Fidei Chriſtianæ myſteria (*b*) omninò cæcutientem. (*a*) 1 *Cor.* 10. 15. & 11. 13. (*b*) 1 *Cor.* 2. 14.

A. *Quid de Ratione recta altero illo ſenſu dicendum?*

B. Eam in divinis poſſe dici Regulam, ſed cautelis hiſce neceſſariò adhibendis:

1. Hoc ſenſu, ut ne ſit regula in purè divinis, niſi facta priùs revelatione divina, nedum in profundis Fidei Chriſtianæ myſteriis, utpote quorum nullus ineſt *ex natura* facultati rationali habitus. *Mat.* 16. 7.

2. Ne ſit regula primaria, quæ ſola eſt Scriptura, ſed ei (*a*) ſubordinata & ſecundaria, ita ut hæc in Divinis ad *ſummam* Scripturæ rationem ſit exigenda, non ad eam Scriptura. (*a*) *Mat.* 7. 12.

Deniq; 3. ita Regula, ut nihil ei (modo vera ſit Ratio) Chriſtianæ Religionis, quoad rem, contradicat, quod tamen quoad modum, & ſingularem rei diſpoſitionem in ſinu divino abſconditam & facile & longe prætervolet.

A. *De Authoritate in præſentia ſatis; unde conſtat S. Scripturam eſſe normam religionis perfectam?*

B. Id de ſe multis in locis ipſa teſtatur, nec poteſt illius teſtimonium vanitatis inſimulari, ſi (quod utcunque evicimus) ſit divinum. 2 *Tim.* 3. 16, 17.

A. *Ad*

A. *Ad quænam se diffundit ista Script. perfectio?*

B. Ad omnes (*a*) *personas*, (*b*) *casus*, & (*c*) *tempora*. (*a*) *Joh.*5.39. *Col.*3.16. (*b*) *Ps.*119. 96. 2 *Tim.*3.17. (*c*) 1 *Pet.*1.25.

A. *An itaque omnes possunt intelligere Scripturas?*

B. Omnes, quantum ad eorum (*a*) salutem sufficit, modo usum habeant rationis, & (*b*) intelligentiam à Spiritu Sancto, mediis (ut plurimum) ordinariis, illustratam. (*a*) *Joh.*20.31. (*b*) 1 *Cor.*2.10. 1 *Joh.*2.27.

A. *Unde constabit Script. S. esse perspicuam?*

B. Ex æquitate Divina, (*a*) quæ neminem finit in rebus tanti momenti obscuro & incerto duce uti, quin & ex compluribus ipsius Scrip. de se (*b*) testimoniis. (*a*) *Mic.*6.8. 1 *Cor.*14. 8. (*b*) *Ps.*119.105. *Prov.*8.9.

A. *At multæ sunt in Scripturis (earum quoque rerum quarum fides est necessaria ad salutem) profunditates & mysteria.*

B. Sunt quidem, sed homini (*a*) *naturali* non (*b*) *spirituali*, nisi quoad modum, magnitudinem, & alias fortasse circumstantias, non quoad (*d*) rem ipsam, sive rerum credendarum substantiam; hæc enim credentibus (quantum certe ad ipsorum salutem sufficit) per verbum & Spiritum satis retegitur. (*a*) 1 *Cor.* 2. 14. (*b*) *v.* 10. & 15. (*c*) *Ro.*11.33. (*d*) *Ro.*4.18.

A. *Quomodo dividitur Scriptura?*

B. In eam quæ est Veteris, & quæ Novi Testamenti.

A. *Quid de libris illis censendum est, qui vulgo* Apocryphi *dicuntur?*

B. Non sunt pro fidei regula amplexandi, quanquam illorum aliquot morum præcepta minimè aspernanda contineant.

A. *Cur autem à Canone (sive regula fidei) exterminantur?*

B. 1. Quod nunquam pro θεοπνεύστοις sint à Judæis agniti, quibus *concredita sunt eloquia Dei, Rom.* 3. 2.

2. Quod linguâ Ecclesiæ Judaicæ ignota (Græca scil.) maximam partem conscripti sunt, idque cum nulla præter Judaicam esset in terris Ecclesia visibilis.

3. Ob nonnulla à veritate & Spiritu Dei aliena in istis tradita. Cujusmodi sunt *Tobiæ nonnulla. c.* 5. *&* 6. *Mendacium* Authoris *libri Sap.* qui Solomonem se falso præfert, c. 19. 7, 8. Verba Macchab. l. 2. c. 15. 38, 39. à Spiritu Dei alienissima, *Judithæ* 9. *v.* 2, 4, 10. & non pauca id genus alia.

De libris tamen Sapientiæ & Ecclesiastici visum est subnectere sententiam J. *Calvini*, his verbis; *Qui tamen utcunque aliquo loco nobis esse debent, si non ut Canonici, certè ut veteres, ut pii, ut multorum suffragiis recepti. Psychopannych: inter opusc. edit. in fol.* 1576. *p.* 542.

CAP.

CAP. II.

De Natura Dei.

A. *UNde conſtat eſſe Deum?*

B. Non modo ex Scripturis, verum etiam ex lumine rationis (*a*) naturali, ex omnium (*b*) gentium teſtimonio, atque adeo ipſis (*c*) operibus Divinis. (*a*) *Ro.*1.20. (*b*) *Jer.*2. 11. (*c*) *Ro.*1.19,20.

A. *Quid eſt Deus?*

B. Eſt (*a*) Spiritus (*b*) æternus, (*c*) incomprehenſibilis, (*d*) immutabilis, (*e*) per ſe independenter exiſtens, (*f*) ſibi ſoli ſufficiens, (*g*) in ſecula bened ctus. (*a*) *Joh.*4.24. (*b*) *Pſ.*90.2. (*c*) *Job* 37.19. & *c.*26.14. *Rom.*11.33. (*d*) *Ex.* 3.14. *Ja.*1.17. (*e*) *Is.*44.6. (*f*) *Gen.*17.1. *Re.* 11.35. *Job* 22.2. & *c.*35.6,7,8. (*g*) *Ro.* 9.5.

A. *Si Deus ſit Spiritus, cur membra ei corporea, aures, oculo, &c. paſſim tribuit Scriptura?*

B. Hoc facit *non ſenſu proprio*, ſed tantum *analogico*, idque intellectus humani, ad naturam divinam cæcutientis, ſublevandi gratia. Nam quicquid iſtorum membrorum ſubſidio ritè operatur homo, id poteſt omne (modo & gradu infinities eminentiore) per ſuam eſſentiam ſimpliciſſimam operari Deus.

A. *Si ſit immutabilis, cur* 1° *ei tribuuntur affectus, ſive motiones humanæ? Cur* 2° *diſertè, nec uno in loco, pœnituiſſe dicitur?*

B. Ad

B. Ad horum utrumque quæſitum quod modo diximus de membris corporeis accommodari poteſt: ejuſmodi ſcil. affectus Deo minime (*a*) convenire *ſenſu proprio, & literali*, ſed *figurato* tantum & *analogico*. (*a*) *Num.* 23. 19.

A. Quomodo igitur?

B. Hoc modo; Deus non amat, aut odit, dolet, aut gaudet, per ullam talem motionem, qualem in nobis cotidiè experimur homines, ſed voluntas ejus (ceu eſſentia) ſimpliciſſima *ratione effecti ad creaturam relati*, has vel illas induit affectuum appellationes, quas ἀνθρωποπαθῶς efferri vulgo dicunt Theologi.

A. Nunquam ergo Deus mutat propoſitum ſuum?

B. (*a*) Nunquam, nam hoc aut impotentiam, aut inſcitiam argueret, quorum utrumvis Deo adſcribere ſummæ eſſet blaſphemiæ. (*a*) *Num.* 23. 19. *Iſ.* 46. 10.

A. At pœnas comminatas non infligere (ut in caſu Ninevitarum) mutationem aliquam voluntatis ſapit.

B. In Deo nullam, quia comminationes iſtæ ſunt tantum *conditionales*, quæ mutato in melius peccatore, non ponunt pœnam, idque ſecundum voluntatem Dei immutabilem. *Jer.* 18. 7, 8, 9, 10.

A. Da alios characteres (ceu proprietates) divinæ naturæ in S. Script. traditos.

B. Ex iſtis ſunt *Immenſitas* (ceu (*a*) *Omnipræſentia*) (*b*) *Sanctitas*, (*c*) *Bonitas*, (*d*) *Juſtitia infinita*,

infinita, (*e*) *Omniſcientia*, (*f*) *Omnipotentia*. (*a*) *Jer.*23.24. *Pſ.*139.7,8,9,10. (*b*) *Iſ.* 6. 3. & *c.*57.15. (*c*) *Ex.*34.6. (*d*) *Pſ.*97.2. (*e*) *Pſ.*139. 2,3,4. *Heb.*4.13. (*f*) *Gen.*18.14. *Mar.*14 36.

A. *Cum Immenſitate Dei quomodo conciliandæ ſunt iſtæ Scripturæ, quæ Deum de* (*a*) *loco in locum migrare ſtatuunt, eæque quæ* (*b*) *ſedem ei propriam tribuunt in cœlis?* (*a*) Gen.11.5. (*b*) Pſ.2.4.

B. Non poteſt verè mutare locum, qui omnem replet, *Jer.*23.24. ſed iſta omnia κατ' ἀνθρωποπάθειαν intelligenda. Dicitur autem eſſe in cœlo, non *definitivè*, quaſi alibi eodem tempore non eſſet, ſed *manifeſtativè*, idque non ſimpliciter, ſed tantum quoad eminentiam, quod inde ſcil. ibiq; majeſtatis & gloriæ ſui radii (*a*) potiſſimum eniteant. (*a*) *Iſ.*66.1. *Pſ.*19.1. *&c.*

A. *Si Deus Sanctus ſit & Bonus, cur peccatum, & mala tot inde conſequentia in mundo paſſim graſſari ſinit?*

B. Peccati mala conſequentia non permittit modo, ſed (*a*) infligit, *impius* (*b*) *ex juſtitia, piis* (*c*) *ex diſciplina & charitate paterna*. Peccatum permittit (hoc eſt non impedit) ut ſapiens mundi gubernator, non permittit impunè, ut juſtiſſimus mundi Judex. (*a*) *Am.* 3. 6. (*b*) 2 *Theſ.* 1. 6. *Jer.* 11. 20. (*c*) *Prov.* 3. 11, 12. *Heb.* 12. *à* 5. *ad* 12.

A. *Quî poteſt ſumma Juſtitia cum ſumma Miſericordia conciliari?*

B. Si quæritur de habitibus (ita enim humano more

more loquendum est, cum in Deo proprie sunt nulli) utraque cum altera optimè consentit, & quasi coincidit in una Dei simplicissima essentia, eaque perfectissima.

A. *Quæro potius de actibus.*

B. Neque sic vel minimùm repugnant, si ad *objecta diversa* referantur, v. g. actus summæ justitiæ (*vindicantem* hic intelligimus) erga Christum mediatorem, conjunctus est cum actu summæ misericordiæ erga hominem peccatorem. *Is.* 53. 4, 5.

A. *Num Deus certissimè cognoscit futura contingentia?*

B. Omnino; quod innumera docent in Scripturis exempla: qualia sunt ista, *Exod.* 3. 19. *Deut.* 31. 20, 21, 22.

A. *Sed quidni dicatur Omniscius, etsi non omnia cognoscat, qui dicitur Omnipotens, etsi non omnia faciat?*

B. Discrimen in aperto est,

1. Quia *posse* non est *facere*, & dicitur Deus *Omnipotens*, non *Omnifaciens*; at aliquid non scire, & omnia scire, palam & alta voce contradicunt.

2. Quia *scire* est actus intellectus Divini pure naturalis, qui non restringitur voluntate; *facere* est actus voluntatis, qui sequitur Intellectum (non speculativum sed) practicum. *Psal.* 135. 6.

A. *Sed*

A. *Sed quomodo erunt contingentia certò præscita, quæ non sunt certò futura?*

B. Fieri non potest quin Futurum sit, *suo modo*, futurum ; & quanquam id minimè necessariò antecedenter ex parte *causæ secundæ* (ut in actibus purè voluntariis) necessitate tamen infallibilitatis ex parte *Dei*, cujus omniscientia clam esse nil potest.

A. *Quodnam est objectum potentiæ Divinæ?*

B. Quicquid [*a*] vult facere ; & quod neque contradictionem implicat, nec infinitæ ejus [*b*] perfectioni adversatur. (*a*) *Ps.*135.6. (*b*) *Tit.* 1.2. *Heb.*6.18.

A. Ea verò proprietatum in Deo congeries, nonne compositionem indicat, & consequenter illius simplicitati derogat?

B. Nequaquam, sunt enim istæ proprietates neque ab essentia Divina, neque à se invicem realiter disjunctæ : unde nec ullam inferunt compositionem, nisi unius *rationis*, quæ naturæ simplici minime repugnat.

CAP.

CAP. III.

De tribus in Eſſentia Divina Perſonis.

A. *Eſtne unus tantum Deus?*

B. Planè; quod & Scriptura paſſim clamat, & ratio naturalis evincit, quippe cui plura actu infinita repugnant.

A. *Verùm aſſerente Apoſtolo Dii ſunt multi*, 1 Cor. 3. 5.

B. Sed *nobis*, ibidem inquit, *eſt unus tantum Deus*; proinde intelligendus eſt de diis Ethnicorum *putatitiis*, vel de *Vicariis* illis & *metaphoricis*, (*a*) quales ſunt Magiſtratus & Principes terreni. (*a*) *Exod.* 22. 28.

A. *At in iſta ſumma Vnitate nonne continetur Trinitas Perſonarum?*

B. Id quidem firmiter credendum eſt, cum Scrip. toties diſertè inculcet, & Eccleſia Chriſtiana ab ipſis jam inde Euangelii incunabulis ad hæc uſque tempora agnoverit.

A. *Quibus internoſcuntur nominibus tres illæ perſonæ?*

B. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

A. *Aſt ubi vel Trinitatis vel Perſonarum in Scripturis mentio?*

B. Trinitatis (ſecundum verſionem Anglicanam) expreſſa habetur 1 *Joh.* 5. 7. Quod ſi quis de iſta verſione litem moverit, non eſt magnopere laborandum.

A. *Quidni?*

A. *Quidni?*

B. Utpote cum glorioſiſſimæ illius Triadis (*a*) perſonæ ſingulæ conjunctim, & æquali honore præditæ legantur, ſingularum Deitati ſeorſim à reliquis teſtimonia ſat multa perhibeant aliæ Scripturæ. (*a*) *Mat.*28.19. 2 *Cor.*13.14.

A. *De Perſonæ vocabulo quid cenſes?*

B. Id quoque reperitur *Heb.* 1. 3, Eccleſiæ Anglicanæ aliorumq; doctiſſimorum Interpretum ſuffragio communitum: ejuſq; in hoc negotio uſus ab Eccleſia Catholica comprobatur.

A. *Quid vero ſiquis hic etiam contentioſus eſſe velit?*

B. De reipſa convinci poterit (niſi contradicendi ſtudio, ut fit, abreptus) ex locutionibus illis Scripturalibus, quæ niſi perſonis accommodari nequeunt.

A. *Cedo illarum aliquot.*

B. Suffecerit unica de Spiritu Sancto, cum & eadem erit reliquarum ratio, ejuſq; perſonalitatem potiſſimum oppugnent Trinitatis adverſarii. Is, etſi nomen ei Græcum ſit alterius generis, cum maſculino tamen pronomine conjunctus legitur, quod, niſi perſona eſſet, ſolæco laboraret. ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα, *Joh.* 16.13. Adde quod dicitur (*a*) docere, (*b*) dona dare, velle, &c. quæ unius perſonæ ſunt. (*a*) *ibid.* (*b*) 1 *Cor.*12.

A. *Unde conſtat Chriſtum non eſſe nudum Hominem?*

B. Quoniam ſi talis eſſet, ſequeretur eum tunc

tunc primum extitiſſe, cum ex Virgine Maria naſceretur: at ex Scripturarum perplurium clariſſima luce evincitur contrarium. *Joh.*1.2,3. *Joh.*8.58. *Gal.*4.4. *Phil.*2.7. *&c.*

A. *Quî vero conſtabit eum eſſe verum, & æternum Deum?*

B. Ex nomine, proprietatibus, & operibus Divinis.

A. *Incipias à nomine.*

B. 1. Nomen ei incommunicabile Jehovæ tribuitur, ut *Joh.*12.41. collat. cum *Iſaiæ* 6.3. 1 *Cor.*10.9. collat. cum *Num.* 21.6.

2. Dicitur Deus benedictus in ſæcula, *Rom.* 9.5. Dominus & Deus à Sancto Thoma agnitus, *Joh.* 20.28. Verus Deus à Sancto Johanne, 1 *Joh.*5.20. Æqualis Deo, *Phil.*2.6. Magnus ille Deus, *Tit.*2.13.

A. *Perge ad ejus proprietates Divinas.*

B. 1. Eſt Æternus, primus, & ultimus, *Apoc.*1.17. collat. cum *Iſ.*44 6. *Joh.*8.58.

2. Eſt omniſcius, *Joh.*21.17. *Apoc.*2.23. collat. cum *Ier.*17.9,10.

3. Eſt omnipotens, quod teſtantur miracula varia, ſua ſponte virtute edita, ut *Mat.*8.3.16. & alibi in Evangelio paſſim.

4. Eſt adorandus, *Heb.*1.6. collat. cum *Apoc.*19.10.

A. *Supereſt ut opera quoque ejus Divina in medium proferantur.*

B. 1. Eſt Creator omnium, *Heb.*3.3,4. *Joh.*1.3. 2. Eſt

2. Eſt conſervator omnium, *Heb.* 1. 3. collat. cum *Pſal.* 36. 6.

3. Divina edidit miracula dum in terris ageret, ut ſupra, vid. *Joh.* 15. 24. inter quæ præcipuum erat reſuſcitatio ſui ipſius à mortuis, *Joh.* 2. 19, 21. & *c.* 10. 18.

4. Confert vitam æternam, *Joh.* 10. 28, collat. cum 30.

A. *Unde liquet Spiritum Sanctum eſſe verum Deum?*

B. 1. Ita diſertè appellatur, 1 *Cor.* 3. 16. *Act.* 5. 3, 4.

2. Inſignitur proprietatibus Divinis, (*a*) *æternitate*, (*b*) *omnipræſentia*, (*c*) *omniſcientia*, (*a*) *Heb.* 9. 14. (*b*) *Pſ.* 139. 7. (*c*) 1 *Cor.* 2. 10.

3. Facit opera divina, qualia ſunt (*a*) collatio donorum cœleſtium pro ſuo ipſius beneplacito, (*b*) effectio miraculorum, & alia hujuſmodi. (*a*) 1 *Cor.* 12. 4. 11. (*b*) *Mat.* 12. 28.

A. *Quod ſi Spiritus Sanctus ſit Deus, quomodo dicuntur fideles impleri Spiritu, ut Stephanus*, Act. 6?

B. Iſtæ locutiones ſunt Metonymicæ, quibus non *perſona*, ſed *dona* Spiritus gratuita notantur.

CAP. IV.

De Providentia Divina.

A. *QVid eſt Providentia Dei?*

B. Eſt qua res omnes creatas (*a*) potentia ſua ſuſtentat, (*b*) ſapientia moderatur ac regit. (*a*) *Heb.* 1. 3. *Act.* 17. 28. (*b*) *Eph.* 1. 11.

A. *An vero res etiam minimæ intra hujus providentiæ ambitum verſantur?*

B. Sic eſt, atteſtante tum (*a*) Scriptura, tum ratione. (*a*) *Mat.* 10. 29, 30. conſulantur miracula Ægyptiaca in lib. *Exod.* & *Job.* 38. & *Pſal.* 147. &c.

A. *Sed quænam hoc ſuadet ratio?*

B. Si de minimis iſtis à Deo conſervandis quæritur, ratio haud obſcura eſt à majori, quoniam ſcil. ab influxu divino creaturæ præſtantiſſimæ dependent, (quod extra controverſiam eſt) (*a*) nedum viliſſimæ. (*a*) *Mat.* 6. 26. 30.

A. *Cur vero res tantulæ ſtatuuntur objectum moderaminis divini?*

B. Scilicet alias fruſtra condiderat. *Prov.* 16. 4.

A. *In quibus autem creaturis præcipue elucet Providentia Dei?*

B. In Angelis & Hominibus, bonis & malis.

A. *In bonis quomodo Hominibus?*

B. Quod

B. Quod illos in benevolentiæ (*a*) paternæ ſinu complectitur, & per (*b*) varias tandem vitæ præſentis ærumnas & diſcrimina ad æternæ fœlicitatis portum tutos perducit. (*a*) *Jer.* 31. 20. *Mat.* 7. 11. (*b*) *Act.* 14. 22.

A. *Quî in malis?*

B. Quod illorum malitiam (ſibi (*a*) intimè ante ſecula perſpectam) 1. Etſi poſſit, minimè tamen impediat. 2. (Ex ſe interminabilem) (*b*) certis pro ſuo ſolius arbitrio limitibus coerceat. 3. Quod in (*c*) piorum bonum, & (*d*) nominis ſui gloriam mirifice (quaſi reluctantem) trahit. Et 4. horrendis demum Gehennæ cruciatibus (iiſque æternis) in peccatorem animadvertit. (*a*) *Iſa.* 37. 28. *Pſal.* 94. 11. (*b*) *Pſal* 76. 10. (*c*) *Rom.* 8. 28. *Gen.* 50. 20. (*d*) *Pſal.* 76. 10. *Exod.* 14. 17.

A. *Quod ſi Deus permittit impiorum graſſari malitiam, cur dicitur Deus nolens iniquitatem?* Pſal. 5. 5.

B. Si teneretur impedire, utrumque equidem de eo dici non poſſit: vult itaque voluntate tantum (*a*) *permittente*, quoad actus alicujus aut habitus malitiam, non vult voluntate aut *imperante* aut *efficiente*; imo odit, prohibet, punit, & (ex parte) ſemper coercet. (*a*) *Pſal.* 50. 21. *Act.* 13. 18.

A. *At cum dicitur indurare corda, annon hinc ſequetur Deum eſſe Authorem peccati?*

B. Abſit; Nam ex mollibus (*a*) dura non efficit, ſed gratiam (*b*) indebitam & nihili habitam (*c*) ſubtrahendo, dureſcere, idque magis magiſque juſtiſſimus finit judex. (*a*) *Exod.* 3. 19. 7. 23, 8. 15, 32. (*b*) *Rom.* 11. 35. (*c*) *Pſal.* 81. 11, 12. *Iſa.* 5. 6.

A. An demum cum providentia divina libertas ſtabit humana?

B. Admodum; quod communis tam bonorum, quam malorum indicat experientia: utrique enim, (*a*) hi malè, illi (*b*) benè, *ex animi propoſito & libera voluntatis electione* agunt. (*a*) *Prov.* 1. 30, 31. *Iſa.* 66. 3. (*b*) *Pſ.* 119. 30.

A. Nullam ergo inducit neceſſitatem providentia?

B. Quæ libertatem adimat, nullam: *i. e.* 1. neque *coactionis*, neque 2. *abſolutam*, (qualis eſt agentium purè naturalium) ſed neceſſitatem *infallibilitatis* & merè *hypotheticam*, ([*a*] reſpectu nimirum habito ad Deum infallibilem) inferre palam eſt; neque hæc (*b*) ullatenus cum libertate creaturæ pugnat. (*a*) *Num.* 23. 8, 19. *Mat.* 24. 6. (*b*) *Act.* 4. 28. collat. cum *Act.* 3. 14.

Aut hic (quod ſuſpicor) aut nullibi Calviniſmum iſtum (qui nunc dicitur) habemus inviſibilem, Gygis ſcilicet annulo donatum, qui à nonnullis, ut audio, nobis objicitur: quos & cauſâ noſtrâ piget refellere, ne tempus in re clariſſimâ inutiliter, & ſine cauſâ teram; & illorum quoque pudet, ne tantùm non Atheiſmi reos coarguam.

CAP.

CAP. V.

De Creatione primi Hominis; & fœdere primo cum eodem ſancito.

A. *UNde conſtat Adamum fuiſſe primum hominem?*

B. Ex hiſtoria luculenta Creationis, *Gen.*1. collata cum *Gen.*2. 19. *&c.* necnon ex *Luc.*3. 38. ubi idcirco dicitur *filius Dei*, utpote alium (ſicut reliqui) non habens patrem.

A. *Ecquo autem S. Scripturæ loco ad fucum ſibi oblinendum abutitur Præ-Adamitarum Somnium?*

B. Id quidem minimè dubitandum, cum neque mendaciorum Patri ſuum defuiſſe *Scriptum eſt* agnoſcimus. Nititur autem hoc (ſive delirii, ſive profaniſſimi in ſacris Luſus & petulantiæ) verbis iſtis Apoſtoli, *Rom.* 5. 13. ubi dicitur *peccatum fuiſſe in mundo uſque ad legem, non autem imputatum ubi nulla eſt lex.*

A. *Quid hinc quæſo eliciunt Boni viri?*

B. Per legem ſcilicet intelligunt poſitivam illam *Adamo* datam de *non comedendo fructu Arboris*, & cum dicitur *uſque ad legem* duraſſe peccatum, colligunt ante legem iſtam, & conſequenter ante ipſum *Adamum* extitiſſe Homines peccatores.

A. *Bella ratiocinatio! an ergo S.* Paulus *eo loci de lege agit poſitiva* Adamo *lata?*

 B. Nihil

B. Nihil minus: nunquam ille Legis vocabulum eo ſenſu uſurpaſſe legitur, ſed ibi legem intelligit miniſterio (*a*) *Moſaico* Judæis promulgatam: Hanc autem, quò omnes tam *ante* legem quam ſub lege peccati reos coarguat, peccato natu minorem pronunciat. (*a*) *vid. Rom.* 5. 20. collat. cum *Gal.* 3. 17, 19.

A. Quid autem ſibi volunt pir peccatum non imputatum?

B. Peccatum quod ipſi vocant *materiale*, & quale eſt *cupiditas naturalis* in brutis quoque Animantibus, non vero *formale*, i.e. *peccatum ſine culpa*, ut ridiculè putidéque philoſophantur.

A. Cur dicitur homo conditus ad Imaginem Dei?

B. 1. Non ratione partis corporeæ, cum Deus ſit Spiritus: at 2. quoad dotes & virtutes animæ, quà morales, quà intellectuales, imo & totius animæ ſanctitatem, quam ei largitus eſt Deus. *Eph.* 4. 24.

A. Verum ſic & conditi ſunt Angeli?

B. Sanè; proinde quod in iſta imagine divina peculiare videtur homini, eſt *dominium* in reliquas creaturas ſublunares vicarium, *Gen.* 1. 26. collat. cum *Gen.* 2. 20.

A. Num tenebatur Deus Adamum in iſto ſtatu primævo perſeverantem mercede aut præmio donare?

B. Nullatenus; quia *Dei ad creaturam nulla*

nulla potest esse obligatio, nisi voluntaria.

A. *An ergo tali posita perseverantia ullam habuit Adamus spem præmii?*

B. Omnino; sed ex solo fœdere, quod lubens cum eo pepigit misericors Deus.

A. *Unde vero constiterit ullum tale fœdus Deo intercessisse cum* Adamo?

B. Nimirum dictat ratio adfuisse omnia ad fœdus simpliciter requisita.

A. *Dic ista.*

B. Mutuum intelligo consensum, & stipulationem utriusque partis.

A. *De Deo satis liquet; sed de* Adamo, *quâ efficis ratione? an & ipse assensum præbuit?*

B. Assensus quidem disertis verbis habetur nullus, at talem aliquem fuisse optima ratione nititur.

A. *Cedo istam.*

B. Si enim ex parte *Adami* deficeret hæc stipulatio, sequeretur aut conditionem ab eo præstandam (*viz.* obedientiam) aut præmium à Deo promissum ei minus placuisse, quorum utrumque cum supposita ejus integritate (tum intellectus, tum voluntatis) omnino pugnat.

A. *Quid ab homine præstandum exigebat illud fœdus?*

B. *Perfectam* utique numeris omnibus & *personalem* voluntati Divinæ præstandam obe-

dientiam, *Gal.* 3. 10. unde & fœdus operum usitato dicitur.

A. *Quæ merces promissa obsequenti?*

B. Fœlix & læta immortalitas, ceu vita æterna. *Gal.* 3. 12.

A. *Quæ pœna peccanti denunciata?*

B. Mors, *Gen.* 2. qua (*a*) omne genus miseria (etiam (*b*) æterna) continetur, quæque consequenter (*c*) ante peccatum nullo sensu erat *naturalis aut necessaria.* (*a*) *Psal.* 44. 22. 1 *Cor.* 15. 31. (*b*) *Ezek.* 18. 20, 21, 23, *&c*, *Rom.* 6. 23. (*c*) *Rom.* 5. 12.

CAP.

CAP. VI.

De Peccato, ſive Lapſu Hominis, & miſeriis conſequentibus.

A. *QVî potuit Homo cum eſſet conditus ad imaginem Dei, deſciſcere à Deo?*

B. Ex pravo (*a*) Liberi Arbitrii uſu, quod & lapſus (*b*) Angelorum cauſa. (*a*) *Eccleſ.* 7. 29. (*b*) *Judæ* 6.

A. *An ergo nullam ei neceſſitatem peccandi impoſuit Deus?*

B. Omnino nullam; qui & gratiam illi qua peccatum repelleret *ſufficientem* impertivit, nec datam niſi à peccante revocavit. *Eccl.* 7. 29.

A. *At potuit Adamum Deus, quo minus peccaret, uberiore gratia donare?*

B. Nihil verius; ſed neque ad hoc undecunque (*a*) tenebatur, neque ſic infinitæ ſuæ ſapientiæ viſum eſt, quod eventus docet. (*a*) *Mat.* 20. 15.

A. *Dic mala iſtius peccati primi conſequentia.*

B. Ea in duplici diſcrimine reperiuntur: ſunt enim alia *temporanea*, in hoc præſente ſeculo; *æterna* alia, in futuro.

A. *Da primi generis.*

B. Illa rurſus aut corporis ſunt, aut animi.

A. *Quænam ea ſunt corporis mala?*

B. Caduca ejuſdem temperies, morbi, ærumnæ

ærumnæ variæ, mors demum ipſa.

A. *An itaque à morbis & morte immunis extitiſſet homo, ſi non peccaſſet?*

B. (*a*) Prorſus; ex gratia tamen divina, magis quam ex conditione corporis, etſi præſtantiſſima. (*a*) *Rom.* 5. 12.

A. *Quænam ſunt animi mala peccatum ſecuta?*

B. Ea multo triſtiora, per omnes illius facultates diſſeminata: (*a*) error ſcilicet in judicio, (*b*) pravitas in appetitu & (*c*) affectibus, lubricitas (ad bonum) (*d*) memoriæ, (*e*) vitioſa conſcientiæ temperies, ejuſdemque ex admiſſo peccato (*f*) cruciatus, (*g*) totius denique hominis ad peccatum pronitas, hiſque omnibus adjuncta (*h*) ſubjectio Diabolo, & ira Dei. (*a*) 1 *Cor.* 2. 14. *Eph.* 5. 8. (*b*) *Job.* 1. 13. *Rom.* 7. 19. (*c*) *Rom.* 1. 25. ad finem. (*d*) *Deut.* 32. 18. (*e*) *Eph.* 4. 19. *Jer.* 2. 35. (*f*) *Gen.* 3. 8, 10. & *c.* 4. 13, 14. *Mat.* 27. 4, 5. (*g*) *Epheſ.* 4. 19. (*h*) *Eph.* 2. 2, 3.

A. *Num hinc ſequetur amiſiſſe Hominem peccatorem Liberi Arbitrii uſum?*

B. Non circa *res civiles*, aut vitæ cotidianæ negotia, teſtante experientia; quanquam in his quoque multum abeſt ab iſta perſpicacitate mentis & affectuum rectitudine, quæ ad plenum libertatis uſum requiruntur. Cum enim Liberum (utpote voluntarium) ſit in Agente *ſingulas Actionis circumſtantias ſciente*, quo minor eſt Scientia, eo minor Libertas. A. *In*

A. *In rebus purè ſpiritualibus quid poteſt?*

B. Non eſt negandum Hominem liberè facere, quod ſecundùm voluntatem facit, ſive bonum (*a*) ſive malum: ſed antequam *regenitus* ſit in hominem ſpiritualem, neque (*b*) ſapit, neque (*c*) facit, quod gratum eſt Deo. (*a*) *Pro.* 1.29,30. *Iſ.*66.4. (*b*) *Ro.*8.7. (*c*) *Heb.*11.6.

A. *Dic mala iſta, quæ vocas æterna, in ſeculo futuro.*

B. Ea quidem pro magnitudine ſatis exprimi non poſſunt: ſed in genere ad binas pœnæ claſſes revocantur, *damni* ſcilicet & *ſenſus.*

A. *Utriuſque naturam explica.*

B. *Pœna damni* eſt æterna peccatoris è ſede & gaudiis Beatorum excluſio; *Pœna ſenſus* eſt horribilis ille tum corporis tum animæ in Gehenna cruciatus cum Diabolo & Angelis ejus, *Mat.* 25.41. 2 *Theſ.* 1. 8, 9.

A. *Cur vero tam levi (in ſpeciem) peccato tam gravis incubuit pœna?*

B. Ob læſam eo *majeſtatem infinitam.* Quin etſi ad aſpectum non ſatis intuenti (quoad materiam) levius videatur, erat tamen reapſe (perpenſis circumſtantiis) flagitioſiſſimum, imo peccatorum ferè omnium *infauſta* potiùs *congeries, & Epitome,* quam ſimplex peccatum.

A. *Hæccine ad primos tantum parentes manavit peccati lues, an vero ad omnes illorum poſteros derivata graſſatur?*

B. Imò,

B. Imò, cum ob *communem* culpæ (*a*) ſocietatem virtualem, tum ob contagium (*b*) *perſonale* nemo hominum eadem calamitate implicitus non tenetur, Chriſto ἀναθρώπῳ duntaxat excepto, quique per Chriſtum æterna morte liberantur. (*a*) *Ro.* 5. 12, 15. *&c.* (*b*) *Job.* 14. 4. *Joh.* 3. 6.

A. Unde poſteris oritur iſta culpæ ſocietas cum Parente πρωτοπλάστῳ ?

B. Ex *Adami* conditione ſingulorum *repræſentativa*, quippe qui non privatam modo ſui ipſius, ſed communem, & univerſi generis humani implicatoriam perſonam ſuſtinuit.

A. Quî vero hoc perſpicuum fiet ?

B. Ex comparatione *Adami* cum Chriſto parallelâ, inſtituta ab Apoſt. *Rom.* 5.

A. Quid ex iſta comparatione efficitur ?

B. Utrumque ſcilicet *caput* & *radicem* fuiſſe generi humano, alterum mortis, vitæ alterum; (*a*) per *Adamum* imputatum ab eo genitis peccatum, per Chriſtum ab eo regenitis juſtitiam. Hinc ille (*b*) *primus homo*, hic *ſecundus* dicitur, ac ſi nemo interveniſſet alius; quin & *alter* (*c*) *Adamus* illopſe illo nomine δεύτερος appellatur. (*a*) *Rom.* 5. 19. (*b*) 1 *Cor.* 15. 47. (*c*) 1 *Cor.* 15. 45.

A. Unde demum contagio iſta peccati perſonalis omnes & ſingulos Adami *poſteros pervaſit ?*

B. Ex traduce, ſive per (*a*) generationem natura-

naturalem ; ſicut ex pomi ſylveſtris amputato ſurculo ſimile generatur. Sed de modo (ubi ſatis conſtat de re) veritatis & modeſtiæ cultorem lites movere & ſerere non decet. (a) *Joh.* 3. 6. *Pſal.* 51. 5.

A. *At iſtis reclamare videtur lex divina, quæ docet*, animam quæ peccat ipſam (*non* aliam *ſcilicet*) morituram, *& quod* Filius non portabit iniquitatem Patris, *Ezek.* 18. 20.

B. Nulla hic eſt cum dictis iſtius legis repugnantia, utpote quæ intelligenda eſt de parentibus *proximioribus* & privatis, non de *primo* illo & communi omnium parente, conſequenter de peccatis purè *perſonalibus*, non autem *naturalibus*, quod ex totius capitis ſerie & ſermone conſtat.

A. *Habeſne quod huic reſponſo adjiciendum velis ?*

B. Ita ; quod nimirum labes iſta originalis, quæ omnibus imputatur, omnibus quoque (per generationem ſcilicet traducta) *inhæret*, unde non eſt aliena modo, ſed, quoad ſpeciem, ſua cuique *perſonalis & propria*, quod ex antedictis abunde conſtiterit.

A. *De peccato originali ſatis : vonne altera eſt ſpecies peccati ?*

B. Eſt, nimirum actuale, quod eſt legis divinæ vel minima tranſgreſſio actualis.

A. *Quotuplex eſt ?*

B. Duplex,

B. Duplex, vel *omiſſionis*, vel *commiſſionis*; utrumque ruſus *cogitati*, *dicti*, *facti*; quanquam hæc tria peccatum commiſſionis, magis propriè (quia magis uſitatò) ſonant.

A. Cum peccatorum paritas formalis *ſit* (*extra* Stoam) *ab omnibus merito* (*a*) *exploſa*, *utrum tamen ad eam ulla parvitatem ſubſidunt*, *ut* ſuâ *veniam* naturâ *mereantur?* (*a*) *vid.* 1 Joh. 5. 16, 17.

B. Quanquam *ex eventu* (per miſericordiam ſcilicet Divinam) peccata etiam (*a*) *graviſſima* ſint *venialia*, i. e. veniam conſequuntur; tamen vel leviſſimi cujuſque illud eſt ingenium, ut mereatur (*b*) *mortem.* (*a*) 1 *Tim.* 1. 13. (*b*) *Rom.* 6. 23.

A. Quâ autem ratione obtinebis peccatum nallum ſuâ eſſe naturâ veniale?

B. 1. Quia vel minimum eſt (*a*) *tranſgreſſio Legis*, ejuſque divinæ, & conſequenter infinitæ majeſtatis Legiſlatori facta injuria; unde mereri nil poterit niſi debitam tranſgreſſioni *Pœnam.* (*a*) 1 *Joh.* 3. 4.

2. Cum veniæ collatio ſit actus liberæ *miſericordiæ*, abſurdè dicitur peccatum *mereri* veniam, quæ hoc pacto non eſſet *venia*, ſed *debitum*, nec Miſericordiæ opus, ſed Juſtitiæ, neq; demum peccatum tam eſſet peccatum, quam res *meritoria.*

CAP.

CAP. VII.

De novo Fœdere, & Hominis Redemptione ceu liberatione per Chriſtum parta.

A. *STatum Hominis miſerrimum ex peccato ortum dixiſti, nulla vero in meliorem tranſeundi ſpes eſt?*

B. Imo plurima, virtutè Novi (ceu Gratiæ) fœderis à Deo cum homine peccatore initi.

A. *Quid eſt iſtud Fœdus Novum?*

B. Eſt quo Homini lapſo, modo [*a*] *reſipiſcenti*, & in Chriſtum Mediatorem verè [*b*] *credenti*, peccatorum [*c*] omnium venia, & [*d*] ſalus æterna, ob [*e*] unius Chriſti merita [*f*] gratiosè promittitur. [*a*] *Mar.* 1. 15. [*b*] *Mar.* 16. 16. [*c*] *Dan.* 9. 24. *Heb.* 8. 10, 12. [*d*] *Joh.* 3. 16. [*e*] *Iſ.* 53. 4, 5, 6. *Rom.* 3. 24, 25. [*f*] *Eph.* 2. 8.

A. *Quando autem initum eſt fœdus Gratiæ?*

B. Statim à lapſu, ante prolatam ſcilicet contra Peccatores Legis ſententiam, *Gen.* 3. 15.

A. *Da veteris illius ante lapſum & novi hujuſce Fœderis diſcrimina.*

B. Præcipua hæc ſunt: 1. In Vetere exigebatur *perſonalis* [*a*] eaque *perfectiſſima* quoad partes & gradus præſtanda toti legi obedientia, ſub pœna mortis, & in [*b*] propria ſimiliter peccantis

peccantis persona; in Novo sufficit obedientiæ quoad partes omnes [c] *sinceritas*, & pœnæ delinquenti debitæ per [d] *mediatorem* vicarium solutio. [a] *Gal.* 3. 10. *Deut.* 6. 5. [b] *Gen.* 2. 17. [c] *Job.* 1. 1. *Luc.* 1. 6. [d] *Is.* 53. 5. *Gal.* 3. 13.

A. *Cedò alterum discrimen.*

B. In Novo Fœdere Deus ipse [a] operatur ex beneplacito suo in servandis *& facere & velle*, conditiones ad salutem requisitas, quod in Veteri ante lapsum fœdere ex usu Liberi Arbitrii humani magis pendebat. [a] *Phil.* 2. 13. *Ezek.* 36. 26, 27. *Jer.* 32. 40.

A. *Nonne potuit Deus pro infinita sua misericordia sine interventu mediatoris & solutione Debiti peccatorem servare?*

B. Potest Deus *quicquid vult*, imo, & quæ non vult, sed hoc eum noluisse palam est: unde insuper summæ non minus justitiæ quàm misericordiæ luculentissima edidit argumenta.

A. *Quî sic?*

B. Quoniam & totum (hoc pacto) debitum peccatori *remisit*, & totum à mediatore Christo *accepit*. *Rom.* 3. 24, 25.

A. *An ergo Christus verè satisfecit pro peccatis fidelium?*

B. Prorsus; quod ubique clamat Scriptura; unde dicitur [a] *propitiatio*, [b] λύτρον, [c] ἀντίλυτρον, pro peccatis nostris, nec tantum *bono nostro*, sed

ſed [d] *vice noſtra* perpeſſus. [a] 1 *Joh.* 2. 2. [b] *Mat.*20.28. [c] 1 *Pet.*3.18. & *cap.*2.24. [d] *Heb.*9.28. *Iſ.*53. *&c.*

A. *At hoc videtur à juſtitia remotum, ut alienæ quis inſons culpæ debitam luat pœnam.*

B. Eſſet quidem, niſi hoc *ultro* & nemine ullatenus cogente in ſe ſuſciperet, idque in Dei [a]gloriam, [b]quod fecit Chriſtus. [a] *Heb.*10. 5. ad 10. *Joh.*6.51. 2*Cor.*8.9. [b] *Joh.*17.4.

A. *Sed quomodo Chriſtus pœnam peccatori debitam perſolvit, cùm ea fuit mors æterna?*

B. Eandem *formaliter* pœnam minimè ſuſtinuit, ſed *æquivalenter* eandem, imo & majorem; idque ob *dignitatem perſonæ* [a] θεανθρώπε, cujus patri merito erat charior vita quam univerſi generis humani, pluriſque ſatisfactio tot & tantis angoribus illius præſtita, (quamvis durationè temporanea) quam totius mundi æterna eſſet futura. [a] *Act.*20.28. 1 *Joh.*3.16.

A. *Nunquid ergo per unum Chriſtum ſalutis porta peccatoribus aperitur?*

B. Ita res eſt; diſertè id teſtante Scriptura, *Joh.*14.6. *Act.*4.12. & ſuffragante ratione: Nam ſi alius quiſpiam ad ſalutē aditus pateret, (putà per cæcos *naturæ* ductus, aut ex intuendo, haud ſatis in hunc finem polito, *creaturarum ſpeculo*) nulla poteſt aſſignari cauſa idonea cur in Hominum ſalutem deſcenderet è cœlo Filius Dei ad Crucem in Terris. *vid. Eccleſ. Angl. Art.*18.

CAP. VIII.

De officio Christi Mediatorio.

A. *Qualem oportet esse Mediatorem inter Deum & Hominem?*

B. 1. Ab omni vel minima peccati labecula *immunem.* Nam frustra pro peccatore medium se Justitiæ Divinæ objiceret *peccator. Heb.* 7. 26, 27.

2. Utriusque naturæ participem; *Humanæ*, [*a*] qua scilicet læso numini satisfaciat, magisque Hominem peccatorem affectu sympathetico complectatur Homo; *Divinæ*, qua satisfactionem atque adeo quicquid est muneris Mediatorii cumulatè [*b*] adimpleat, eique [*c*] vim omnem, & [*d*] meritum affundat. [*a*] *Heb.* 2. 14, 15. [*b*] *Joh.* 19. 30. *Heb.* 10. 14. [*c*] *Eph.* 4. 8, 12. [*d*] *Rom.* 8. 32, 33, 34.

A. *Quotuplex est Christi munus Mediatorium?*

B. Triplex; [*a*] *Regium*, [*b*] *Sacerdotale*, [*c*] *Propheticum.* [*a*] *Mat.* 21. 5. [*b*] *Heb.* 6. 20. *& alibi passim.* [*c*] *Act.* 3. 23.

A. *Quæ partes sunt* Regii *muneris?*

B. Populo suo [*a*] leges dare, [*b*] piis tutelam, [*c*] privilegia, [*d*] præmia largiri, & meritâ impios prosequi [*e*] vindicta. [*a*] *Is.* 33. 22. *Mat.* 28. 20. [*b*] *Joh.* 10. 11, 28. [*c*] *1 Pet.* 2. 9. *Apoc.* 1. 6. [*d*] *Apoc.* 22. 12. [*e*] *Luc.* 19. 27.

A. *Quæ-*

A. *Quænam ad munus* Sacerdotale *pertinent?*

B. In genere duo; 1. [*a*] seipsum semel pro peccatis offerre *victimam* Justitiæ Divinæ *ex asse* satisfactoriam. 2. pro peccatoribus in eum credentibus jugiter apud Patrem [*b*] *intercedere.* [*a*] *Heb.*9.28. [*b*] *Heb.*7.25.

A. *Quid ergo statuendum est de Sacrificio, quod vocant* Missæ, *peccatorum (saltem quoad pœnam temporalem) expiatorio?*

B. Blasphemum id esse figmentum Hominum Scripturas non intelligentium. Hæ siquidem nullum tale nobis commendant sacrificium præter sanguinem Christi, qui [*a*] *solus abluit peccata.* Interim [*b*] sacrificia Christiana (sensu figurato) agnoscimus, *spiritualia* scilicet, *Eucharistica*, & magni [*c*] illius sacrificii *commemorativa*, [*d*] quale est Cœna Domini. [*a*] 1 *Joh.* 1.7. *Joh.*1.29. [*b*] *Ps.*51.17. *Heb.*13.16. [*c*] *Hos.*14.2. [*d*] 1 *Cor.*11.24,25,26.

A. *Nonne & Sancti in Cœlis sunt Mediatores intercessionis?*

B. Nequaquam; quia [a] *unus sufficit nobis mediator & intercessor Christus*, nec ullo vel *præcepto*, vel *exemplo*, vel *promisso* in Scripturis proposito ad alios relegamur. [a] *Heb.*7.25. 1 *Tim.*2.5.

A. *At Sancti in Terris intercedunt pro fratribus suis.*

B. Sanè; hoc enim [*a*] Lex (Divina) *charitatis* postulat; at vel *in genere* tantum (quod & San-

ctos in cœlis facere piè credibile eſt) aut ſi pro hominibus (eorumque conditionibus) ſingularibus, intelligendi duntaxat ſunt ii, quorum neceſſitates ſibi perſpectas habent: Ea vero *ſingularium* aliquot cognitio cum Sanctis vita *functis* [*b*] *ordinariò* non competat, uti olim in Terra degentibus (imo neque [*c*] niſi ex *revelatione divinâ* competere poſſit,) inde fit quod Horum preces flagitamus, Illorum ambiendas neutiquam cenſemus. (*a*) *Eph.6.19. Jac.5.16.* (*b*) *Iſ.63. 16.* (*c*) *Luc.15.7.*

A. *In quo munus ſuum exercet Chriſtus* Propheticum?

B. Non tantum (*a*) multa prædicendo, quæ aut poſt evenerunt, aut certò creduntur eventura; verumetiam (*b*) docendo populum ſuum, eoſq; in *omnem veritatem* ducendo ad ſalutem neceſſariam. (*a*) *Mat.24.2.* & *cap.21.43. Joh.16. 33. Mat.25. à v. 31. ad fin.* (*b*) *Joh. 15. 15.*

A. *Quomodo autem id facit?*

B. Intus *Spiritu*, ut cauſa *principali*; extra, *Verbo*, ut *inſtrumentali*. *Iſ.29.21.*

CAP.

CAP. IX.

De Fide.

A. *Quotuplex in S. Script. Fides legitur?*

B. Non uno gaudet significatu; nam interdum capitur *objectivè*, pro ipsâ Fidei (*a*) Doctrina, at sæpius *subjectivè*, prout est in ipso Credente. (*a*) *Act.6.7. Ro.*10.8.

A. *Sensu autem posteriore quotuplex?*

B. Quadruplicem meminit Scriptura: Fidem scil. (*a*) *Miraculorum*, (*b*) *Historicam*, (*c*) *Temporan-am*, & (*d*) *Justificam.* (*a*) *Mat.* 17. 20. 1 *Cor.* 13. 2. (*b*) *Jac.* 2. 19. (*c*) *Mat.* 13. 20, 21. *Heb.*6.4,5. (*d*) *Rom.*3.28.

A. *Quomodo distinguuntur tres istæ Fidei species priores à Justifica?*

B. Non *gradu* tantum, sed ipsâ quoque *essentia.*

A. *Unde hoc evincitur?*

B. Hinc potissimum, quod diversa habent tum *principia*, tum *subjecta.* Nam principium fidei Justificæ est gratia Dei *specialis*; ad reliquas sufficit generalior, & viribus naturæ magis accommodata. (*a*) *Eph.* 2. 8. *Gal.* 5. 22. 1 *Joh.*2.20,27. *& cap.* 3.9.

A. *Dic subjecta itidem diversa.*

B. Fidei Justificæ est homo (*a*) *electus* ad vitam, & (*a*) *natus ex Deo*; reliquarum possunt

esse (*b*) filii perditionis, (*c*) Hypocritæ, (imo fidem Historicam quod attinet) ipsi quoque (*d*) Diaboli. (*a*) *Tit.* 1. 1. *Joh.* 1. 12, 13. (*b*) *Joh.* 17. 12. collat. cum *Mat.* 10. 4, 8. (*c*) *Act.* 8. 13. collat. cum *v.* 18. ad *v.* 24. 2 *Tim.* 4. 10. (*d*) *Jac.* 2. 19.

A. *Quid est fides Justifica?*

B. Habitus animæ humanæ, (*a*) divinitus, & gratis infusus, quo homo peccator Christum Redemptorem, quoad (*b*) omnia ejus munera, (*c*) animitus (*d*) *agnoscit*, eumque (*e*) unum (*f*) ad vitam *amplectitur*. (*a*) *Eph.* 2. 8. (*b*) *Is.* 33. 22. (*c*) *Rom.* 10. 9, 10. (*d*) *Mat.* 16. 15, 16. (*e*) *Joh.* 6. 68. (*f*) *Joh.* 3. 16. (*g*) *Joh.* 3. 12. *Cant.* 3. 4.

A. *Quænam est nota Fidei Justificantis certissima?*

B. Quod (*a*) *purificet cor*, & (*b*) *per charitatem agat*. (*a*) *Act.* 15. 9. (*b*) *Gal.* 5. 6.

A. *Possuntne Infantes habere fidem?*

B. Possunt in actu *primo* ceu radice, non in actu *secundo*, sive fructu; eodem planè modo quo Rationem habent naturalem; cum enim veræ regenerationis per occultam Sp. S. virtutem (*a*) capaces esse dubitandum non sit, eosdem quoque tum fidei, tum omnium eò pertinentium virtutum, in *semine*, & *radice* participes fieri nil vetat. Huc accommodetur (*a*) *Mar.* 10. 14. *Apoc.* 21. 27.

CAP.

CAP. X.

De Justificatione & Sanctificatione.

A. *Quid est Justificatio?*

B. Est actus Dei (*a*) judicialis, quo justitia (*b*) Christi cuilibet in eum credenti ad salutem (*c*) gratis (*d*) imputatur. (*a*) *Rom.*5. 16. *& cap.*8.33,34. (*b*) 1 *Cor.*1.30. *Phil.*3.9. (*c*) *Rom.*3.24. (*d*) *Rom.*4.3. ad *v.*9.

A. *Annon ergo justificantur peccatores per Justitiam illis infusam, ceu quoviſmodò inhærentem?*

B. Nequaquam; (tota enim (*a*) Scriptura reclamat) sed per unius Christi justitiam *fide* apprehensam, & applicatam: consule loca in respons. prox. anteced. & (*a*) *Rom.*4.5.24. & *Ro.*5.18. *Gal.*2.20. *Tit.*3.4,5.

A. *Quomodo igitur Fides justificare dicitur, cum sit qualitas infusa & inhærens?*

B. Non ut *causa principalis* efficiens, nam ea Deus est; non ut *causa meritoria*, quæ Christus est; sed ut *instrumentum* quoddam, Christi justitiam peccatori applicans. (*a*) *Rom.* 8. 33. (*b*) *Is.*53.5. *Rom.*5.19.

A. *Quid hic censendum de* bonis operibus, *quibus justificationem cum fide sociam tribuere videtur S.* Jacobus, c. 2?

B. Quanquam Scriptura nos *sola fide* Justificari non asserit disertè & totidem terminis; id

tamen locutione prorſus æquipollente, ſæpies enuntiat; ut cum dicit juſtificari *non operantem*, & *ſine operibus*. *Ro.*4.5. *Ro.*3.28.

A. *Quomodo ergo intelligendus eſt S.* Jacobus?

B. De operibus ut *adjunctis* fidei juſtificæ neceſſariis; non ut ad ipſum (ſicut fides eſt) juſtificandi actum requiſitis; hæc enim (ſi evangelicè bona) *non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.*

A. *An ergo nulla datur Juſtificatio* ante fidem?

B. Nulla prorſus in (*a*) foro Conſcientiæ; imò nec in foro Dei (*b*) *actualis & completa*; datur tamen in (*c*) *decreto* divino, & quæ *virtualis* appellatur in capite (*d*) Chriſto. (*a*) *Ro.* 5.1. (*b*) *Heb.*11.6. (*c*) *Eph.*1.11,12,13. (*d*) *Iſ.*50.8.

A. *Num Juſtificatio ſimul & ſemel peragitur?*

B. Ita, ſi quoad *gradus* intellecta (ſic enim omnibus & omni quoque tempore (*a*) eadem eſt) non vero quoad ejus ſive *ſenſum*, ſive *durationem*; utpote peccatori credenti, & reſipiſcenti continenter (*b*) repetita. (*a*) *Ez.*18.22. (*b*) *Ro.*3.25.

A. *An denique eſt Homini lapſo ſub lege eadem, quæ ſub Euangelio Juſtificatio?*

B. Eadem, per fidem ſcil. in (*a*) Chriſtum mediatorem (utrobique communem) ſub lege *exhibendum*, ſub Euangelio *exhibitum*. (*a*) *Heb.* 10. ad *v.*15. *& c.*11. *per tot. & c.*4.2. 1 *Cor.*10. 3,4. *& alibi paſſim.* A. *Ita,*

A. *Itaque promiſſionibus ſpiritualibus non caruêre fideles ante incarnatum Chriſtum.*

B. Nullatenus: nam ſic aut *vana* aut *cæca* admodum fuiſſet illorum fides: quin & diſertè contrarium aſſerit Apoſt. *Heb.*11.13. ad 17.

A. *Potéſtne inſtantia aliqua V.T. res clarior fieri?*

B. Omnino, idque ex verbis ipſis pacti cum *Abrahamo* fœderis, *Gen.*17.7. *Ero tibi Deus & ſemini tuo.*

A. *Quid inde conficitur?*

B. Promiſſiones factas eſſe Patribus & fidelibus ante Chriſtum *pluſquam terrenas:* imo Chriſtum ipſum,(qui promiſſionum omnium nucleus eſt) eis promiſſum & prædicatum fuiſſe conſtat, ex *Gal.*3.8,14,16,17,18. *Heb.*11.16.

A. *Quid eſt Sanctificatio?*

B. Eſt actio Dei gratuita, qua peccatorem jam (*a*) juſtificatum, peccati (*b*) omnis dominio, per (*c*) Spiritum ſuum (*d*) *gradatim* liberat; eúmque ſtudio conſtante bonorum operum inflammat.(*a*)*Ro.*8.1,2.*Heb.*11.*per totum.*(*b*)*Ro.* 6.14.*paſſim.* (*c*) *Rom.*8.*paſſim.* (*d*) *Phil.*3.14.

A. *In quo diſcrepat Sanctificatio à Juſtificatione?*

B. In tribus potiſſimum, (ſi ſtrictiùs, prout in deſcriptione exhibetur, accepta)

1. Quod ſit natura poſterior juſtificatione, (nam tempore co-incidunt.)

2. Quod

2. Quod ſit qualitas animæ Credentis realiter inhærens; eamque modo *reali* & *abſoluto* afficiens, quin & in *Lege* præſcripta, cum *Juſtificatio* per fidem ſit opus purè *Euangelicum*.

3. Quod per gradus abſolvitur, in Terris *inchoata*, in Cœlis *perfecta*. *Phil.*3.12. 14. 2 *Pet.*3.18.

4. Quod ſecundum opera *ſanctitatis* feretur *ſententia* in foro, Diéque noviſſimo. *Mat.*25.35. *&c.* 2 *Cor.*5.10.

A. *Quam vero ad regulam exigendum eſt hujus Sanctificationis exercitium?*

B. Ad unum Dei verbum in Scripturis conſignatum, præcipuè ad Decalogum, *Sanctimoniæ normam ſummariam.*

CAP.

CAP. XI.

De Decalogo.

A. *NUm Decalogus Chriſtianos ex æquo cum Judæis obligat?*

B. Omnino: Lex enim naturæ (ceu moralis) quam exhibet eſt omnium hominum (idque æternùm) obligatoria; quod idem conſtat ex (*a*) Chriſti & (*b*) Apoſtolorum teſtimonio, qui ad legem in Decalogo comprehenſam, ut ſanctitatis regulam, omnes amandant: ut (*a*) *Mat.*15.3,4. *Luc.*10.26. *Ja.*2.8,11.

A. *Quomodo diſtribuitur Decalogus?*

B. In binas (quas vocant) *Tabulas*, ceu *mandata magna* (generalia) ut appellat Chriſtus, *Mat.*22.38,39,40.

A. *Iſtæ autem Tabulæ quomodo diſtinguuntur?*

B. Prior (quæ 4 prima continet præcepta) Deum immediate reſpicit; altera proximum, vel Deum, mediante proximo.

A. *Quæ ſunt regulæ ad interpretandum Decalogum obſervatu digniores?*

B. Iſtæ tres:

1. Præceptum omne negativum, oppoſitas exigit virtutes, ſimiliter affirmativum prohibet vitia: exempla vid. 1 *Cor.*15.34. *Eph.*4.28. *Iſ.*58.4. ad 8. *Rom.*12.2, *&c.*

2. Manda-

2. Mandatum generale omnes includit (*a*) *ſpecies*, imo & *occaſiones* quaſlibet non purè accidentarias, *irritamenta*, atque adeo quæcunque eò conducentia adminicula. (*a*) *Mat.*5.21,22. collat. cum 1 *Joh.* 3.15. 1 *Theſſ.*5.22. *Judæ.*23. *Heb.*10.25. 2 *Cor.*6.14,17. *Pſal.*1.1.

3. Præcepta affirmantia obligant *ſemper*; negativa inſuper *ad ſemper*: v. g. ſemper tenemur dare pauperibus, ſed non dare ſemper; quod ſi ullo vitæ totius momento eos opprimamus, violatur lex negativa, quæ id ſevere prohibet.

A. *Ecquid legi in Decalogo comprehenſæ novũ aliquod præceptum ſubſtantiale Chriſtus attexuit?*

B. Prorſus nullum, quia ſic lex divina non eſſet perfecta, totum continens officii humani, contra *Pſal.* 19.7. imo *perfectio* (& hoc ipſo nomine) ei tribuitur, nullis finibus circumſcripta. *Pſal.* 119.96. Præterea ſequeretur quod ſi quis totam legem cumulate adimpleret, nondum tamen officii ſui partes omnes percurreret, quia peragendæ reſtarent aliæ à Chriſto Domino adſcriptæ; nec poſſet conſequenter introire vitam; reclamante totius Scripturæ ſuffragio, ut *Lev.*19.18. cum *Gal.* 3.12. *Mat.*19.17.

A. *Quid ergo hac in re Chriſtum præſtitiſſe cenſendum eſt?*

B. Veteri

B. Veteri nimirum legi *lucem* attuliſſe *novam*, nova (nec ſatis unquam miranda) impoſuiſſe hominibus Chriſtianis obſequii vincula. *Mat.* 5. *Joh.* 13.34. *cum Lev.* 19.18. *Heb.* 2. 2, 3, 4, 5.

A. At pactum præſtantius, & promiſſa præſtantiora *legimus*; *Heb.* 8. 9.

B. Fœdus Euangelicum & gratiæ, eſſe operum fœdere præſtantius, in confeſſo eſt apud omnes: ſed cum fœdus illud gratiæ ſit duplex, vel *typicum* ſcilicet vel *ſpirituale*: priori videtur hic opponi poſterius, quod cum promiſſa ſpiritualia exhibet tum uberius multo tum dilucidius, fœdus ipſum præſtantius, & promiſſis præſtantioribus ſtabilitum dicatur. *Heb.* 8.11.

A. *Quid exiſtimandum eſt de operibus* (*quæ vocant*) ſupererogationis, *quæque* meriti eſſe maximi *dicuntur, neque tamen intra ambitum Decalogi concluſa; qualia ſomniant Pontificii, ſua* cœlibatus, obedientiæ, & paupertatis *ſpontaneæ vota, quibus veluti quartum adjecerunt Jeſuitæ ſibi proprium, viz.* miſſionis?

B. Fieri non poteſt ut opus ullum morale *extra* legem moralem (nedum *ſupra*) collocetur, nam *latum mandatum tuum nimis*, Pſal. 119.96. rejicienda itaque *conſilia* illa horum ſenſu *Euangelica* dicta, quæ, ut aiunt, ſuadent tantum, nullo modo præcipiunt: nam ſi ſuadent ad bonum, omne bonum in lege bona & perfecta, vel in *ſpecie*,

ſpecie, vel *in* (*a*) *genere*, vel *expreſſe*, vel (*b*) *implicite* continetur. (*a*) *Mat.* 14. 21. (*b*) *Deut.* 6. 5. *collat. cum Mat.* 22. 37.

A. *Sed videtur Apoſtolus* conſilium *ſuum* (γνώμην) *à* præcepto *ſecernere*, 1 *Cor.* 7. 25. *collat. cum v.* 12.

B. Ita, à præcepto quidem ſpeciali & expreſſo, non autem ab implicito ſive virtuali, quod ad caſum præſentem ex *Spiritus Sancti dictamine* accommodatum ſibi *perſuaſum habuit. v. ult.*

A. *Quid vero de votis iſtis cenſendum?*

B. Omnia rationi & Scripturæ adverſari: nam quod ad votum *paupertatis* attinet, id erga Deum (*a*) *ingratitudinem*, erga (*b*) *ſe* & *proximum* charitatis defectum arguit. Votum *cœlibatus* pugnat contra (*c*) remedium incontinentiæ a Deo omnibus ex æquo indultum; & promiſſione divina caret. Votum *obedientiæ & miſſionis*, prout à pontificiis deſcribitur, eſt *obedire Hominibus magis quam Deo:* (*a*) *Prov.* 30. 1, 9. *Prov.* 3. 10. 16. (*b*) 1 *Tim.* 5. 8. (*c*) 1 *Cor.* 7. 9. (*d*) *Heb.* 13. 4.

CAP.

CAP. XII.

De Præcepto primo.

A. *QVid in Primo Legis præcepto directè & explicitè prohibetur?*

B. *Idololatria & Polytheiſmus*, ſive falſi numinis (unius aut plurium) cultus Religioſus.

A. *Quid autem implicitè exigitur, ſecundum Reg. cap.* 11. *traditam?*

B. Ut unum illum verum Deum toto quidem corde ac viribus (*a*) amemus; (*b*) fiduciam ei omnem, (*c*) æſtimium, (*d*) honorem, & (*e*) obſequium perpetuo & (*f*) palam, ut fert occaſio, deferamus; ut nobis denique præ ipſius infinities auguſtiſſima omnium majeſtate & gloria (*g*) cuncta plane ſordeſcant. (*a*) *Deut.* 6. 5. (*b*) *Pſ.* 91. 2. (*c*) *Pſ.* 73. 25. (*d*) *Pſ.* 29. 2. (*e*) *Mat.* 4. 10. (*f*) *Pſ.* 40. 10. *Luc.* 12. 8, 9. (*g*) *Phil.* 3. 8.

A. *Annon ergo licet ulli Creaturæ, puta Angelis & Sanctis Cœlitibus (omnium præſtantiſſimis) cultum exhibere* religioſum?

B. Imo ſceleſti hoc eſſet Sacrilegii, quia Finis & Objectum Religionis (*a*) ſolus eſt Deus. (*a*) *Math.* 4. 10. *Auguſtin. de Civ. Dei, l.* 10. *c.* 1. *Aquin* 2ª 2æ *qu.* 31.

A. *Quod deus ſit objectum Religionis ultimum in confeſſo eſt apud omnes; ecquid vero obſtat quo minus Creatura ſit objectum* intermedium *& quaſi* Tranſitorium?

B. Obſtat

B. Obstat *incapacitas* subjecti naturalis: cum enim res creata neque *proximè* (sive *Transitoriè*) neque *remotè* possit esse Deus, consequens est ut neque sit Cultus Divini capax; alioqui (ingratiis quidem omnis Dialecticæ) communicatio fiet Accidentis proprii subjecto, non tantum specificè, sed modis infinitis diverso.

A. *Quid itaque per Duliam & Hyperduliam sibi volunt Sophistæ Pontificii, illam Sanctis vita functis communem, hanc B. Matri Virgini peculiarem?*

B. Hæ nimirum Argutiolæ sunt causæ desperatæ ultima, sed ægra, subsidia; incassum vero novis pugnatur vocabulis, quorum exuta est jam pridem castris sententia; imo suo sibi licebit hostelo conficere.

A. *Videamus quo pacto.*

B. Sic itaque; Cultus à Latria (i.e. Divino) specificè distinctus non potest esse religiosus (nisi ludatur in vocabulo Religionis.) Cum enim omnis Actus Religiosus ad Deum velut ad scopum & Finem proximum recta collineet, actusque morales quoad *speciem* separentur invicem Finibus, & Objectis; aut iste Cultus Sanctorum aliò fertur quam ad Deum, sicque non erit religiosus, aut si eò dirigatur, non potest à Latria specie discrepare, quod tamen rotundè asserunt ejusdem Patroni.

Patroni. *vid. Aquin.* 22, 2æ. *qu.* 103. *Art.* 3.

A. *Nullum vero cultum Creaturæ deferendum cenſes citra horrendam Idolatriæ dicam?*

B. Religioſum omnino nullum: ut omnem tamen in aliqua poſitis *excellentiâ* detrectemus, (ſive ea ſit pure *civilis* & externa, qualis eſt ſuperioris reſpectu ſubditi, ſive *moralis* & interna, in animi dotibus & virtutibus fundata) permultum abeſt.

A. *De Sanctis autem, præcipuè qui ſunt in patria, quid in hoc negotio ſtatuendum?*

B. Horum ſcilicet memoriæ (quicquid contrà ogganniant Adverſarii) debitum Honoris præconium recuſamus nullum, cujus multò in ſe luculentiſſimum eſt, (*a*) Deoque gratiſſimum, eorum pietatis indefeſſa & acris *imitatio*; Ore laudamus, de illorum excellentiis præ Confratrum in via honorificè ſentimus, de præfulgentibus virtutum exemplis *Deo omnis Gratiæ* laudes & Gratulationes noſtras cotidie fundimus. Interim vero quem ſibi tribuendum animitus averſantur (*b*) *ipſi*, quem uni (*c*) ſibi ſacrum ſecluſit Deus, cultum illis *religioſum* omnem, uti par eſt, pernegamus. (*a*) *Rom.* 4. 10. *Heb.* 13. 7. (*b*) *Rev.* 4. 9, 10, 11. & *c.* 19. 10. (*c*) *Iſa.* 42. 8.

A. *Istius vero quem vocas cultus Religiosi naturam singularibus aliquot Instantiis dilucidiorem cuperem.*

B. Instantiæ sunt, Invocatio, Fiducia, Corporis Incurvatio religiosa quæcunque, oblationes, suffitus, & id genus alia quam plurima, quæ Papalem maxime deturpant gregem.

A. *At Purpuram, Sellam, Imaginem Regiam Honore prosequimur, imo* (a) *eodem* (*dicunt aliqui*) *quo regem ipsum; & hoc dato, non licebit Honorem quoque Sanctis apud Deum exhibere Divinum?*

(a) *Aquin. 2a. 2æ. q. 103. Art. 4. 10.*

B. Uno quidem *absurdo dato sat multa subsequuntur.* Passim ista ab Adversariis propinatur nobis instantia, quâ nihil tamen fœdius: Nam

1. Sani nemo Sincipitis eundem *purpuræ, sellæ,* aut *imagini regiæ* honorem præstat quem ipsi Regi, aut si mentis compos, plurimæ saltem laborat erga Principem irreverentiæ morbo.
2. A cultu civili ad Religiosum ulli creaturæ deferendum turpissima est consequentia, utpote quæ facit ex Creatura Deum.

A. *Quid demum de cultu Reliquiarum sentiendum?*

B. Si

B. Si divinum intelligis, eum ſcilicet ex antedictis (Argumento *à majore* negativo) ſuopte ingenio concidere, ut nè quid de illarum ridiculo admodum & pleno fraudum fraudulentiſſimarum abuſu, toti jam olim orbi ad nauſeam uſque explorato, & exploſo, dicatur.

CAP. XIII.

De Præcepto Secundo.

A. UNde *dignoſcitur præceptum primum à ſecundo?*

B. Illud circa cultus Divini objectum primariò & propriè verſatur, hoc circa cultum ipſum ut à Deo præſtitutum, vel (ut alii) *modum*, eumque præcipuè externum.

A. *Quid itaque in ſecundo ἁπλῶς & explicitè prohibetur?*

B. Ne Deum in ſculptili aliquo, pictura quavis, aut imagine viſibili colamus, ejuſve (*a*) ſimilitudinem ullam fabricemus; quippe qui & incorporeus eſt, & (*b*) ſupra quàm aut arte humana, aut re quilibet creata exprimi aut effingi poſſit, glorioſus. (*a*) *Deut.* 4. 15. (*b*) *Iſ.* 40. 18.

A. *Quid autem implicitè interdictum ibi continetur?*

B. Ne alio prorſus *modo* colatur Deus quam eo quem præſcripſit (*a*) ipſe. Quod etiam ſumma ratione nititur; cultus enim cum ſit obſequium, Imperantis eum voluntatem ſequi par eſt. (*a*) *Exod.* 25, 40. *Mat.* 28. 20.

A. *Quomodo ſpecialiter appellatur hujus præcepti tranſgreſſio?*

B. Binis vulgo nominibus, (*a*) *ſuperſtitionem* intelligo & (*b*) ἐθελοθρησκείαν ſive cultum humani

mani tantum arbitrii ſobolem; quorum utriuſque (ex ſenſu vocabulorum *uſitatiſſimo*) hæc eſſe poteſt deſcriptio, quod ſit *cultus meticuloſus* (aut quaſi *adulatorius*) numinis ab eo minime requiſitus. (*a*) *Act.* 17. *v.* 22. (*b*) *Col.* 2. *v.* 23.

A. *Sin modus colendi Deum legitimus ſit is unus quem ipſe præſcripſit, quid exiſtimandum eſt de Ritibus & Ceremoniis in cultu Divino ſolius Eccleſiæ Authoritate adhibitis? Quomodo iſtis conveniet cum hoc Præcepto?*

B. *Pontificiis* quidem peſſimè, utpote (*a*) numero, (*a*) ſuperſtitione, & venditatâ neceſſitate (ut meritoriis, & cultus divini (*b*) partibus) ipſa demum levitate gravibus, & Fidelium Conſcientiis iniquiſſimè (*a*) moleſtis. (*a*) *vid. præfat. Liturg. Anglic. præfixam de Ceremoniis.* (*b*) *Bellarmin. Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 31. *Quinta propoſitio.*

A. *Quid vero de Ceremoniis Eccleſiaſt. in genere cenſendum?*

B. Eas minime damnandas, ſi ex *prudentia* Eccleſiæ Chriſtiana ad regulas ſcripturæ *generales* (uti par eſt) exigantur, ſatente inter nos ipſorum fratrum diſſentientium (*a*) Primipilo. (*a*) *T. C. Replic. ad Reſponſ. admonit. dat. c.* 1. *diviſ.* 5. *apud Whitgift. fol.* 86.

A. *Cedò iſtas mihi regulas.*

B. 1. Ne dato ſcandalo erga Fratres *charitati*
2. Ne honeſtati & *decoro*
3. Ne Eccleſiæ *ædificationi*
4. Ne *gloriæ divinæ*
vel minimum
} adverſentur.

A. *Nonne quadruplicem hanc regulam in Ceremoniis ſuis aut ritibus inſtituendis probat Eccleſia Anglicana?*

B. Omnino, quod conſtat ex graviſſima præfatione *Liturgica*, ſupra memorata.

A. *Mirum itaque videatur cur matri ſuæ tantopere inſcantur Fratres; ſed noſtras fortaſſe ceremonias aut* partes *aut* modos *eſſe cultus Divini perſuaſum habent, proinde in ſecundum (quod præmanibus eſt) Præceptum ſeciùs animatas.*

B. Sed neutrum ipſis (quantum ego intellectu aſſequor) concedit Eccleſia, quæ pauculas illas Ceremonias à ſe inſtitutas pro Chriſtiana quidem prudentia, ſed verbo Dei moderanda, agnoſcit (*a*) *mutabiles*; quod de cultu Divino vel ejus *modo* propriè ſic dicto pronuntiare illius pietati religio eſt. (*a*) *ibid. ubi ſupra.*

A. *Quos loqueris mihi cultus modos, & cur tales eſſe Ceremonias noſtras inficiandum cenſes?*

B. Modi

B. Modi cultus ſunt vel *primarii* vel *ſecundarii*; illi iſtarum omnium virtutum quæ Deum proximè reſpiciunt peracta (modo debito) intus exercitia, quales ſunt actus Æſtimii, Admirationis, Fidei, Spei, Dilectionis, & illorum ſimiles. Modi Secundarii priorum ſunt aut *delineationes* aut *indicia* externa, cujuſmodi ſunt oris *precatio*, & inter orandum *genuflexio*, *Auditio* verbi, *Sacramentorum* participatio &c.

A. Res equidem in liquido poſita videtur, Eccleſiæ Anglic. ceremonias ad horum neutrum pertinere modum.

B. Nihil manifeſtius, quin nec proprie reſpondent ad Quæſtionem *quomodo*; *v. g.* quærenti *quomodo* Caius aut Mævius colit Deum, rectè poſſit reſponderi *devotè*, & *ex animo*, *invocando*, *celebrando* nomen Dei &c. ſed ineptè reſponderetur, cum *ſuperpellitio*, vel ſine, *ſigno Crucis* adhibito vel omiſſo, hoc enim non eſt proprie reſpondere ad *quomodo*, ſed ad *Quid* i. e. quid una agit, vel induit, dum colit Deum. Nimirum indicat *Accidentia cultum liberè concomitantia*, non modum cultus.

A. Verum ulterius inſtatur, Ceremonias ſuas ab (a) Eccleſia pro ſignificantibus *haberi, proinde cum hoc præcepto male convenire. (a) vid. præfat. antedictam.*

B. Significatio Duplex eſt, vel pure *Spiritualis* & indebitæ gratiæ, vel *Eccleſiaſtica* (ſive

Politica) eaque vel debiti *officii*, ut cum Baptizatus in fronte Crucis figura ſignatur, aut cum Præſul Biblia tradit Presbytero tunc primum ſacro ordini initiato; vel tantum *Decori*, ut uſus *Superpellitii* in miniſterio divino. Illam diſertè [a] reſpuit Eccleſia niſi ab omnis gratiæ perenni fonte inſtitutam; Hanc [b] ipſa poteſt inſtituere cum debita regulis Scripturæ generalibus exhibita reverentia. [a] *vid. Canon.* 30. *de uſu Crucis in Bapt.* [b] 1 *Cor.* 14. *v.* 40.

A. *At hinc exoritur Infirmis Scandalum.*

B. De eo *Reſtorum* eſt Eccleſiæ pro ſua in oves Chriſti [a] *cura* pariter atque [a] *miſericordia* ſedulò providere; gregi tamen in *adiaphoris* parendum eſt Paſtoribus ſuis, ſive Politicis, ſive Eccleſiaſticis: aut ſi id minùs ratione præceptæ materiæ per conſcientiam erroneam præſtare poterunt, Superiorum cenſuris [b] ſine murmure & ſtrepitu acquieſcendum erit. [a] 1 *Cor.* 10. 32, 33. 2 *Cor.* 11. 29. [b] *Philip.* 2. 14.

A. *Quid ita vero?*

B. Quoniam ſcilicet obſequium in re licita debitum eſt juris *naturalis* Superioribus perſolvendum: at exoritur ſcandalum (in tali ſaltem materia) non niſi *per accidens*, vitio ſcilicet accipientis: & longe iniquiſſimum

mum est ut obedientia *per se* debita locum cedat scandalo *accidentali*, præceptum transgressioni.

A *Quî vero cum Libertate (à lege ceremoniali) Christiana constabit ejusmodi ceremoniarum præscriptus usus?*

B. Quippini? cum Lex illa omnino [*a*] Futurorum *umbra*, ceremoniarum *numero* & *necessitate*, vi *Conscientiarum* [*b*] sub pœnis atrocibus immediatè obligatoria, Ecclesiæ minorenni Judaicæ jugum erat cervicibus (etsi duris) [*c*] permolestum: contra, Ceremoniæ nostræ *præsentium* sunt, & in liquida *luce* positorum, *perpaucæ*, in se semper *adiaphoræ*, & ubi videbitur Ecclesiæ, *mutabiles* ac evanidæ. [*a*] *Heb.* 10. *v.* 1. (*b*) *Levit.* 7. *v.* 20, 21. (*c*) *Act.* 15. 10.

A. *Verum alia fratribus argumentorum præsto sunt capita (hic ante recensita) nimirum ex* perfectione Scripturarum, Regio *servatoris* munere, *ejusque in Ecclesiam Mosaicæ suppari, si non superiori, fide, petita; quibus illi singulis haud levem quiritantur hinc fieri injuriam.*

B. Ne nimii simus, reponere in præsentia suffecerit

1. Illorum æque ac nostrâ interesse hujusmodi objectorum ictus amoliri, cum ipsi ceremonias nullo prorsus mandato

mandato ſpeciali Scripturæ nixas, ad ejus tantum regulas generales accommodatas, tuto uſurpari poſſe confitentur, nec ullas ipſi admittimus alias: quem itaq; nobis nexuere nodum pro utriſque eadem charitatis opera ſolvendum ſuaderem. Quin ne inutiles & aſymboli adſimus ſpectatores, dicimus

2. Cœleſtibus illis oraculis per Ceremonias noſtras, aut quales ſaltem ex regula Fratrum *quadruplici* comparari nihil vetat, quoad *ſenſum* & *ſignificationem* plenariam demptum, adjectum nihil: ſed quod *in genere* præcipitur, & *in ſpecie* liberum relinquitur, ad caſus ſpeciales, ut fit, ab Eccleſia debitè aptatur. 1 *Cor.* 14.40. *collat. cum v.* 27. 29.

A. *Quid de Regio Chriſti munere, & ferendarum in Eccleſia legum poteſtate* αὐτοκρατορικῇ; *hæccine poteſtatem illam circa res Eccleſiaſticas ferent humanam?*

B. Regnet æternum ſupra omnia benedictus Rex Eccleſiæ: *ſubordinata non pugnant:* nullam ſibi arrogat Eccleſia poteſtatem Chriſti Domini aut *contrariam* aut *coordinatam*, imò nullam, quam non *in genere* ab ipſo illo fonte poteſtatis hauſtam accepit, quanquam (ut

(ut ante diximus, ex apertiſſima illius ſententiâ) *in ſpecie materiæ* præceptæ (ſi quando poſcit prudentia Chriſtiana) *mutabilem*: ſed iſta omnia cum ſint *in ſe adiaphora*, non cujuſlibet privati Hominis ſed *Rectorum* Eccleſiæ judicio permittenda ratio facile monebit.

A. *Quid de Beatiſſimi mediatoris Fide in Eccleſiam, intuitu* (a) *Moſaitæ, ſtatuendum?* (a) *Heb.* 3. 5.

B. Abſit ut ulla tantæ Fidei Splendorem vel umbra contumeliæ hinc obſcuratum eat. Tradidit omnia Chriſtus Eccleſiæ (a) ad ſalutem *neceſſaria*; omnia, (b)quæ à Patre acceperat; plus fides non præſtitit Moſaica, nec minus Chriſti. (a) *Joh.* 20. 31. (b) *Joh.* 15. 15. De iſtis qui plura volet conſulat Reverend. D. *Sanderſon de Conſcientia, prælect.* 6.

CAP.

CAP. XIV.

De Præcepto Decalogi Tertio.

A. *QVid in tertio Præcepto vetitum continetur?*

B *Abusus nominis Divini*; qui fit quotiescunque illud ore vel mente usurpamus, aut *sine causâ*, & in rebus leviculis, aut non ea, qua par est, (*a*) *reverentia* & animi *devotione*. (*a*) *Psal.* 111. 9.

A. *Cum hoc interdicto quodnam ex consequenti cohæret præceptum?*

B. Ut quicquid mens de Deo, Rebus, Institutionibus, aut Operibus Divinis concipit, quicquid lingua profatur, Sacro-Sanctæ nominis ejus sublimitati & præstantiæ respondeat. *Ps.* 96. 4, 8.

A. *Igitur hoc maxime tenendum est in* juramento, *cum in eo perversus Divini nominis abusus sit maxime detestabilis. Mal.* 3. 5.

B. Plane, unde & ritè usurpatum sit pars, (*a*) eaque non minima, cultus Divini. ut (*a*) *Deut.* 6. 13.

A. *Quid autem est Juramentum?*

B. Est actus religiosus in quo (*a*) ad finiendam legitimi momenti litem Deus (*b*) *testis* & (*c*) *judex* invocatur. [*a*] *Heb.* 6. 16. [*b*] *Gen.* 31. 50. *Mal.* 3. 5. [*c*] *Gen.* 31. 53. 2 *Cor.* 1 23.

A. *Quomodo dividitur?*

B. Multimodè: sed potissimum (& in ambi-

tu

tu maximo) in *Assertorium* & *Promissorium*: quorum illud est de tempore *præsenti* & *præterito*, hoc tantum de *futuro*; illud in judiciis obtinet, hoc in (*a*) pactis & conventibus. (*a*) *Gen.* 24. 9. & *cap.* 31. 53.

A. *Juramenti legitimi quæ sunt leges?*

B. Ut nomen [*a*] unius Dei juretur, idque in [*b*] *veritate*, *judicio*, & *justitia*. [*a*] *Isa.* 65. 16. *Jer.* 5. 7. [*b*] *Jer.* 4. 2.

A. *Quidni liceat jurare per Creaturam?*

B. Quia nulla potest aut *testis* esse infallibilis juramenti, aut *vindex* malè præstiti: hoc enim ejus est privilegium, qui est *Scrutator Cordium*, & supremus mundi Judex; hic ei soli *cultus* debetur.

A. *Sed ejusmodi per Creaturas Juramenta probare videtur, imo & stabilire Dominus: Mat.* 23. 21, 22; *siquidem eo loco disertè pronuntiat jurantem per* Templum, *aut* Cœlum *ipsum*, jurare Deum.

B. Non probat iste Textus juramentum per Creaturam, sed vetat *perjurium*, etiamsi Creaturæ solius nomen in juramento audiatur, ut locum attentius intuenti constare poterit. Dicendum itaque quod possit aliquis dici jurare Deum bifariam;

Primò, *Directè*, & *formaliter*, quando Deus ipse testis invocatur, aut disertè, & expresso nomine, aut saltem sensu [*a*] figurato, Tropico & adumbrato. [*a*] *Gen.* 31. 53.

Secundò, *Indirectè*, & *æquivalenter*; id verò non

non reſpectu *formæ* ſed *effecti*, *viz.* obligationis, quatenus nimirum ita jurans tenetur ad fidem juramenti liberandam, adeoque Deum ipſum teſtem accerſit & Judicem (quamvis imprudens fortaſſe, nec aliquid tale cogitans) quaſi per ipſum nominatim juraſſet, & ſic qui jurat creaturam, dicatur jurare ipſum quoque Deum.

A. *Cum autem juramentum* in veritate, judicio, & juſtitia *ſuſcipiendum ſit, quænam huſuſce legis vim omnem elidunt?*

B. Quæcunque [*a*] *dolo* malo peraguntur, aut ritè inſtituta, vel non omninò, vel non in ſolidum præſtantur; ſuſcepta omnia aut *temerè*, aut non [*b*] ſatis cocta *deliberatione*, de *titivilitiis* & rebus ſupervacaneis, de *impoßibilibus*, aut quæ [*c*] *turpem* continent materiam, *i.e.* lege prohibitam, & iſtis ſimilia; de quorum ſingulis, quin & tota Juramenti natura, Reverendus & Doctiſs. noſter *Sanderſonus* ὁ μακαρίτης tractatu de juramento, mole *libello*, virtute *Bibliotheca*. [*a*] *Pſ.* 24. 4. [*b*] *Joſh.* 9. 24. 15. *Marc.* 6. 23. [*c*] *Act.* 23. 21.

A. *Sunt tamen qui juramento uti Chriſtianis omnino illicitum putant?*

B. Sane; ſed facile revincuntur ratione, & exemplis, quæ *inſtar* habent validiſſimæ rationis: Primo ratione, quia teſte Euangelico ſcriptore, [*a*] eoque διαπίστῳ Jusjurandum *finis eſt*

apud

apud homines omnis controverſiæ. Res *facti* intelligit, *finem* debitum, & naturalem, cujúſque luculentior haud poteſt ordinariò haberi evidentia. (*a*) *Heb.6. 16.*

A. *Sed utendum intelligis ut* medicina, *non ut* cibo?

B. Prorſus, adeoque parcè, nec per ſe expetendum, ſed ubi poſtulat neceſſitas.

A. *Quæ autem profers jurandi exempla?*

B. Non modo (*a*) ſancti *Pauli*, ſed (*b*) beati Angeli, & denique beatiſſimi (*c*) Dei. (*a*) 1 *Cor.* 15. 31. 2 *Cor.* 1. 23. *&c.* (*b*) *Apoc.* 10. 6. (*c*) *Heb.* 6. 13. *& centies alibi.*

A. *Sed quomodo conciliabitur jusjurandum cum* (*a*) *interdicto Chriſti*, ne juretis *omnino, cujus eandem repetit ſententiam* (*b*) D. *Jacobus.* (*a*) *Mat.* 5. 34. (*b*) *Jac.* 5. 12.

B. Quanquam locis illis nonnulla inſit difficultas, eos tamen clarioribus præponderare modo citatis æquum non eſt. Scriptura enim Scripturæ non contradicit, & obſcuriores à luculentioribus & minus impeditis lucem opemque mutuam accipiunt.

A. *Quid vero cominùs reſpondendum?*

B. Ad interdictum Chriſti duo ſolent reſpondere pars maxima Theologorum; *Primo*, non jurandum eſſe per Creaturas, per *Altare*, *Templum*, &c. quod in uſu erat Judæis, cum iſta Chriſtus interdiceret. *Secundo*, non eſſe facti

per

per Creaturas Juramenti violandam fidem, (ut ſupra,) & certe non exigui ponderis utraque videtur interpretatio; illa, quia interdictum (ſuis inſtantiis illuſtratum) Creaturarum quidem facit mentionem, nullam jurandi Deum, quem potius ut licitum ſupponit; iſta, quoniam ex ſermone Domini palam eſt Juramenta *alia* per Creaturas à Scribis & Phariſæis habita obligatoria, ſecus *alia*.

A. *Sed dicit Apoſtolus ſimpliciter*, Ne Jurate, *&* ante omnia.

B. Quantumvis igitur veriſſimæ ſunt interpretationes jam nunc allatæ, *in ſe* ſcilicet expenſæ, fortaſſe tamen (quod tantorum pace virorum dictum ſit) haud ſatis feriunt Chriſti & Apoſtoli ſcopum, qui poſitus videtur in juramento *promiſſorio* potius (ſive *voto*) quàm *aſſertorio*; ita tamen ut *aſſertorium* temerè & ſine gravi cauſa adhibitum, ex obliquo percutiat.

A. *Id vero uberiùs explicetur.*

B. Non poteſt meliùs quam ex ipſius Chriſti verbis, qui ſuum (*Ego vero dico, ne jurate omnino*) opponit præcedentibus (*Dictum eſt Antiquis, non pejerabis, ſed reddes Domino vota tua*) quæ certe *promiſſorium* ſonant juramentum, non *aſſertorium*.

A. *Quò autem ſpectat Jacobus?*

B. Eodem ſane primariò videtur quò Chriſtus,

ſtus, ubi dicit, *ſit ſermo veſter, Etiam, Etiam; Non, Non*; quippe priora *Etiam, Non*, promiſſionem videntur notare *factam*, poſteriora *impletam*, uti 2 *Cor.* 1. 18, 19. De utroque loco vid. quæ attulit Cl. *Grotius l.* 2. *de Iure Belli, c.* 13.

A. *An ergo ſimpliciter interdicta ſunt Chriſtianis juramenta promiſſoria?*

B. Nequaquam; ſic enim actum eſſet in hoc lubrico ad fidem naturæ humanæ ſtatu de conventibus & pactis Civilibus, præcipue inter principes (qui utinam vel ſic (*Sacratiſſima* ſcilicet *juris jurandi religione*,) ad exolvendam fidem (hominibus, nedum *ſummis*, nedum *probis*, nedum *Chriſtianis*, digniſſimam) ſe ſemper obſtringi paterentur, ac quidvis potius *ludos* facerent, quam Sacro-Sanctum *Altiſſimi* nomen, ſimulque ingenitam & ſeveram illam Evangelii *verecundiam*.

A. *Quid vero interdictum cenſes?*

B. Jusjurandum *minime neceſſarium*, idque ſenſu maximè rigoroſo: proinde vitandam, quà fieri poteſt ſummopere, πολυορκίαν, & præcipuè Promiſſoriam, cum ex Juramenti *neceſſitate*, licet ad ſecuritatem illius cui juratur hoc faciat, nihil inde fæneratum accipiat jurantis honos, utpote cui ſine Juramento ſatis credi non poteſt.

Secundò, Prohibentur Chriſtianis ὅλως. & πρὸ πάντων cauſæ quæ Jusjurandum reddunt ne-

ceſſarium; viz: proximo *inſidiandi voluntas*, *mendacia*, & mala promiſſionum fides, quæ paſſim graſſantur in ſeculo.

A. *Sic autem quam dabunt ea verba ſententiam?*

B. Huc utique redibit; *Ne jurate omninò*, i. e. ita animo comparati ſitis, ea *ſimplicitatis* & conſtantiæ religione in dictis factiſque quibuſcunque veſtris ornati, ut vel *injuratis* (in rebus quoque graviſſimis) habeatur fides: quaſi ſcil: hominem intemperantem monenti, ut ubi ſe ægrotantem ſentiret, primo quoque tempore medicum conſuleret, interponat alius, ego vero ſuaderem, ne ægrotet omnino, i.e. ut intemperantiam, alioſque Morborum parentes, & cauſas quaſcunque procul amoveat, ſicque (quantum in ſe eſt) minimè ægrotet.

A. *Quomodo diſtinguitur* votum *à juramento Promiſſorio?*

B. Votum Soli *Deo* nuncupatur, Promiſſio jurata ad *Homines* quoque pertinet; 2° votum poteſt eſſe non invocato numine, Jusjurandum non poteſt.

A. *Quid igitur eſt votum?*

B. Solennis, ultronea, & religioſa promiſſio, Deo facta. *Gen.* 28. 20, 21, 22.

A. *Suntne vota Chriſtianis licita?*

B. Nihil impedit, etſi parciùs ob majorem Dei reverentiam, & voventis ex male præſtitis periculum

periculum usurpanda; sunt enim ista (quod de Juramentis diximus) non *alimentum* sed *medicina* animæ, & hinc [b] libera reliquit Deus, [a] *Deut.* 23. 21. [b] *ibid. v.* 22.

A. Quotuplex *est votum Christianum?*

B. Vel *commune*, & *ordinarium*, ut Baptismus, in quo se totum Christo mancipandum [a] vovet Baptizatus; vel *specialius*, & extra ordinem; quod rursus est vel [b] *prudentiale* & *præventivum peccati*, vel [c] *pœnitentiale* de admisso; vel denique [d] *Eucharisticum* de quovis beneficio impetrando, aut impetrato. [a] *Pet.* 3. 21. [b] *Ps.* 119. 106.

A. *Quæ sunt leges voti Christiani?*

B. Ex parte *finis*,

1. ut fiat animo superstitione vacuo, *Gloriæ* Dei, & sui ipsius commodi spiritualis unicè studioso. [a] *Ps.* 132. 2. *Mal.* 1. 14.

2. ex parte voventis, ut suæ sit ipse potestatis & arbitrii. *Num.* 30. 5. 8.

3. ex parte materiæ, ut ea neque præcepto ulli Divino, nec *in specie* vocationi nostræ aut viribus repugnet, qualium exempla habemus adversantia in votis *Papisticis. vid. c.* 11.

Cap. 15. De *Sabbato.*

A. *CVm conſtat Sabbatum à Deo ipſo eſſe inſtitutum, imo & [a] in Arca fœderis, unà cum reliquo Decalogo præceptum de pia atque intemeranda ejus obſervantia depoſitum, variis inſuper & [b] elogiis ornatum, & [c] ſanctionibus munitum, utrum tamen juris naturalis (immutabilis) an poſitivi cenſendum erit?* [a] *Deut.* 10. 4, 5. [b] Exod. 31. à *v.* 13. *ad fin cap. Iſ.* 56. 2. [c] Exod. 31.14. Ezek. 10.12, 13.

B. Eſt juris *naturalis* quoad ſubſtantiam præcepti, i. e. cultum Dei ſolennem, & publicum, eúmque *ſtato* aliquo tempore exhibendum, (hoc enim ratio *naturalis* dictabit) eſt juris *poſitivi* divini quoad circumſtantiam, ut ſcilicet hac hora, aut die celebretur.

A. *Quando primum Deus ſanctificavit Sabbatum?*

B. [d] Statim à finita mundi creatione, die nimirum ſeptima; quanquam variis populi Dei migrationibus, & ſervitute potiſſimum Ægyptiaca ita neglectum, ut nullum ejus celebrandi ante Moſen diſertum occurrat exemplum. [d] *Gen.*2. 2, 3. *Heb.* 4. 3, 4.

A. *Verum ſi ab orbe condito obtinuit Sabbati obligatio, cur dicitur ſignum datum* Iſraelitis? Exod. 31. 13.

B. Non quod tum primum eſſet *inſtitutum*, ſed *reſtitutum* (ceu de novo repetitum) & *ſignum*

num dicitur, non quasi nullam ante haberet significationem, sed quod Israeli, *ex parte* tum [c] obligationis, tum [f] materiæ, novam. [c] *Exod.* 31. 17. *collat. cum v.* 13 [g] *Deut.* 5. 15.

A. *Cur mutatum est Sabbatum Christianum à die septimo hebdomadis in primum?*

B. In memoriam *resurrectionis* die Dominica, unde & dies dicitur Dominicus, *Apoc.* 1. 10.

A. *Sed quâ authoritate facta est diei mutatio?*

B. Omnino videtur quod *Divina*; i.e. vel Christo ipso à mortuis excitato, vel Apostolis, monente Spiritu sancto, ita decernentibus.

A. *Quam hujus responsionis rationem affers?*

B. 1°, quod nonnulla mutationis istius indicia verisimilia habeantur in [g] Script. 2°, quòd à tempore Apostolorum praxis ea passim invaluit in Ecclesia. [g] *Act.* 20. 7. 1 *Cor.* 16. 2.

A. *Num dies integer debetur Sabbato sanctificando?*

B. Nullam diei partem exceptam legimus, quâ licet aliquid agere (citra casum aut [h] *necessitatis*, aut *charitatis*) quod solennem Sabbati sanctificationem impediat. [h] *Mat.* 12. 11.

A. *An igitur ex æquo tenentur Christiani ad diei Dominicæ, ac Iudæi ad sui Sabbati observantiam?*

B. Quoad opera pietatis & cultus Divini tenentur, etsi non quoad rigorem circumstantiarum isti [i] populo peculiarium, [i] *Vid. Num.* 15. *à v.* 32. *ad* 37.

Cap. 16. *De obedientia in Quinto Decalogi Præcepto mandatâ.*

A. QVinam Patris & Matris *nomine in isto præcepto intelliguntur?*

B. Non ii tantùm, à quibus progeniti sumus, sed qui nobis *legitimè* [a] præsunt, aut superiores jure audiunt, in statu sive *Oeconomico*, sive *politico*, sive demum *Ecclesiastico*. [a] *Is.* 46. 23. 2 *Reg.* 2. 12. *& cap.* 5. 13.

A. *Quis autem iis debetur honos?*

B. Non illius externæ modo in [a] *vultu*, [b] *gestu*, [c] *dictisque* reverentiæ, imò neque debiti personarum [d] intus æstimii, sed [e] prompti quoque & [f] fidelis obsequii illorum licitis quibuscunq; *mandatis* & [g] *sanctionibus* deferendi. [a] *Pro.* 30. 17. [b] *Gen.* 23. 7. [c] *Iob* 34. 18. [d] *Eccles.* 10. 20. 1 *Thess.* 5. 13. [e] *Eph.* 6. 5, 9, 7. [f] *Heb.* 13 17. [g] *Heb*, 12. 9.

A. *Cum vero circa obedientiæ in hoc præcepto statuminatæ materiam periculosissimè (idque à non unius Sectæ Hominibus) erretur, primum de obedientia in universum quæro, utrum* cæcam *esse par sit?*

B. Per *cæcam obedientiam* opinor te intelligere *Iesuiticam* illam, quam Superioribus suis (Generali præsertim & Pontifici) activè præstandam volunt, non tantum non assentiente, sed perti-

pertinaciter reclamante proprio obsequentis judicio, Ea non video, quî sit aut Religioni aut Rationi consentanea.

A. *Cur autem primò non Religioni?*

B. Quoniam illa disertè præcipit cavere ne [a] seducamur, [b] ne cuilibet spiritui non ante explorato fidem habeamus, ut [c] omnia ad examen revocemus, nec nisi bonum quicquam retineamus; monet denique quod [d] quicquid non ex fide est, peccatum est, & si [e] *cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam decident*; quæ singula, & id genus complura alia *cæcæ* isti obedientiæ è diametro adversantur. [a] *Eph.* 5. 9. [b] 1 *Ioh.* 4. 1. [c] 1 *Thess.* 5. 21. [d] *Ro.* 14. 23. [e] *Mat.* 15. 14.

A. *Cur secundò talem obedientiam à ratione alienam censes?*

B. Quoniam eâ quis facit, quod Homo sobrius in re multò leviori minimè faceret; vult enim oculis sibi *alienis* videri viam æternæ vitæ, non suis, *aliena* fide credere, non sua; quod est oculos sibi proprios habere frustra, non obedire ut hominem Deo, sed creaturæ, *ut jumentum domino*, non ipsum obedientem credere, sed alium; consequenter, videre & non videre, credere & non credere; *δεύτερα* omnia.

A. *Verum in hac cæca obedientia fortassis excipiendum est* peccatum?

B. Verbo excipi potest, re non excipitur: sic enim vel apparet *superiori* esse peccatum, vel subdito;

ſubdito: non *ſuperiori*, Nam ſupponendus eſt ille faciendum non injungere peccatum: non ſubdito, utpote cui jam eruti ſunt oculi, nec debet ille (ſi maximè poſſet) peccatum pronunciare, quod tale Superiori non videtur.

A. *An ergo liberum relinquis ſubdito mandata Superioris* examinandi *facultatem*?

B. Ita, *privatæ* quidem *diſcretionis* judicio, non eam tamen vagam, ſed debitis finibus circumſcriptam.

A. *Quinam verò iſti ſunt fines*?

B. Hi ſunt præcipui: *Primò*, ut ne id *anxiè* quis faciat niſi *in materia graviori*, & ubi [a] Deus in verbo ſuo contrarium præcepiſſe videatur. *Secundò*, ut *ſobriè* & *modeſtè*, non [b] petulanter, animóque ad diſcendum, non ad cavillandum parato, aut detrectet, aut diſputet obſequium. *Tertiò*, ut *ſibi* [c] *uni* examinet, non aliis, [d] niſi quorum animarum tutelam habet. [a] *Act.* 5. 29. [b] 2 *Reg.* 15. *à v.* 10. *ad* 15. [c] 2 *Cor.* 13, 5. [d] *Act.* 20. 28. *Deut.* 6. 7.

A. *Pergamus ad obediientiæ caſus in ſpecie, & primò in ſtatu* Oeconomico; *poſſuntne liberi, vel* inito conjugio, *vel* alio quovis modo *è poteſtate parentum, ipſis nolentibus, exire*?

B. De liberis minorennibus, & nondum per ætatem emancipatis nulla difficultas eſt. Horum enim conjugia quod attinet, ſine parentum conſenſu peragenda omnino non eſſe S. Scrip. tum

[a] dictis

dictis,[b] tum piorum exemplis abundè demonſtravit: quod etiam ad alia vitæ genera *per analogiam* ex æquo trahendum ratio dictabit, quin & [c] *jus naturæ* unà cum [d] *civili* hoc idem poſtulat.

[a] *Exod.* 22. 17. 34. 16. *Deut.* 7. 3. 1 *Cor.* 7. 38. [b] *Gen.* 24, & c. 8. 2. *Iud.* 14. 2, 3. [c] *Gen.* 34. *a v.* 8. *ad* 18. [d] *vid. Iuſtin. Inſtitut. l.* 1. *tit. de Nuptiis.*

A. *Quid ſi pater conſenſerit, mater recuſaverit?*

B. *Si* in eundem conſenſum flecti non poteſt mater (debitis & *mora & mediis* quibuſcunque adhibitis) ſuffecerit *mariti* conſenſus, qui eſt *caput* mulieris, & penes quem *patriæ* poteſtatis multo potiorem reſidere partem omnes agnoſcunt.

A. *Si Parentum utrique tum à liberis (ea qua par eſt reverentia) tum à communibus amicis ſæpiùs rogati pertinaciter abnuerint, quid hoc in caſu faciendum cenſes?*

B. Tali conjugio ante mutatam parentum voluntatem omnino abſtinendum judico: dato enim quod hoc pro ſuo tantum *imperio*, & mera animi *libidine* parentes fecerint, in eo quidem hi graviter peccant, *moroſis* tamen & *iniquoribus* obſequium debetur, non ſecus ac moderatis & bonis, 1 *Pet.* 2. 18. (Quod enim de ſervis dicit Apoſt. liberis quoque in præſente caſu ex æquo accommodandum eſt.)

A. *Atqui poterunt hoc pacto Parentes nuptias quaſ-*

quaſcunque liberis ſuis interdicere, & conſequenter ad cælebatum perpetuum obligare?

B. Non ſequitur, quia aliud eſt *non huic* nubere, aliud *nulli*; nec poteſt authoritas *humana* præjudicare *divinæ*, quæ [a] peccati remedium inſtituit conjugium. [a] 1 *Cor.* 7. 2.

A. Quid tamē ſi adhuc præſent in ſententia parentes?

B. Omnino provocandum eſt ad ſententiam Principis (ſive ſupremi magiſtratus) cujus eſt providere, ut ita ſinguli utantur poteſtate ſua, ne quid indè *Reſpublica* detrimenti capeat,

A. De liberis emancipatis & majorennibus quid in præſente negotio ſtatuendum?

B. Debitam ſemper parentibus exhibendam eſſe reverentiam, eorum (quoad fieri poteſt) conſiliis auſcultando, ubi vero ad maturam ætatem pervenerint, neque amplius pars ſunt familiæ *paternæ* (idque cum parentum ipſorum conſenſu) major illis connubiorum [a] libertas concedenda videtur, ita ut invitis etiam parentibus ea poſſint contrahere, utpote *ſui jam juris facti*, *Vid. Gen.* 41. 45.

A. De obedientia in ſtatu Oeconomico iſta ſufficerint; de ea quæ rectoribus Eccleſiaſticis debetur nonnulla cap. ſeq. dicemus. Pergamus ad regimen civile; & primò, quam habet Princeps in Clerum poteſtatem?

B. Supremam in Terris habet, hoc eſt in foro externo, non autem interno.

A. *Id*

A. *Id amplius explicandum velim.*

B. Non in *foro interno*, utpote cui non ſint datæ *claves* regni cœlorum, ſive per Prædicationem verbi, ſive per adminiſtrationem Sacramentorum, ceu denum per delinquentium excommunicationem, aut pœnitentium abſolutionem, aut [a] alium quemcunque *actum purè Eccleſiaſticum.* [a] 2 *Chron.* 26. 16.

A. *Qualis autem eſt ea, quam dixiſti, poteſtas ſuprema in* foro externo?

B. Providendi ſcilicet, ut quod ſui eſt muneris in religionis negotio [a] quiſque faciat, & [b] gladio civili in contumaces animadvertendi. [a] 1 *Chron.* 19. 8. *ad finem, &* c. 29. 5. 11. 27. 30. *&* c. 30. 5. *&* c. 31 2. *ad 6. &* c. 35. *ad 7. videſis Artic. Relig. Anglic.* 37. [b] *Ro.* 13. 4.

A. *Licéne ſubditis, ullo ſtimulante prætextu, arma ſumere adverſus Principem?*

B. Non licet; quia tum [a] verbo Dei, tum piorum omnium exemplis (ſub Lege, ſub Evangelio) palam repugnat. [a] 1 *Sam.* 26. 9. *Prov.* 24 21. *Ro.* 13. *à v.* 1. *ad 6.*

A. *Quæ profers exempla piorum ſub Lege?*

B. Davidis, cui licet Sauli *divinitus* eſſet deſignatus *ſucceſſor*, tamen armato illius odio, quamvis maximè immerito, non *armis* adverſis, ſed *fuga*, *bonitate*, *patientia* obſiſtendum duxit. *Vid.* 1 *Sam. à cap.* 18. *ad cap.* 27. *præcipue cap.* 24.

A. *Nun-*

A. *Nunquid his habes alia, quæ adjicias exempla durante Lege?*

B. Imò *Prophetarum ad unum omnium*, qui *pessimorum* regum temporibus vixerunt, eósque Dei nomine severissimè increpantes, nunquam tamen ad rebellionem subditos vel *verbo* sollicitabant.

A. *Exempla quænam habes sub Evangelio?*

B. Innumera; ipsius nimirum Christi, dum in Terris versaretur, ejúsque Apostolorum, atque adeò omnium priscæ Ecclesiæ Christianorum ad usque *tyrannidis Pontificiæ* tempora, qui gravissimis regum suorum persecutionibus miserè vexati, nunquam tamen ad alia quam *precum & lacrymarum* arma convolarunt; quod nulli non testantur Apologistæ Christiani.

A. *Verum illis fortasse defuit rebellandi non* animus, *sed* facultas.

B. Imo gravis hæc esset, eáque crassissima, in Heroum istorum pietatem calumnia, quam & ratio ipsa, & universæ Ecclesiæ primævæ Historia nullo refellit negotio.

A. *Quomodò autem Ratio?*

B. Quia cum tantus ubique esset Christianorum numerus, ut [a] *omnia implerent loca* (neque tamen eorum multi essent infimi ordinis homunculi) potuissent verisimiliter, modo id ipsis visum fuisset, in majorem se libertatem armis asserere. [a] *Tertull. Apolog. l. 2. c. 37.*

A. *Nonne*

A. *Nonne vero hoc Tyrannos eſſet animare ad cædem innocentium Subditorum?*

B. Minime: ſed eos atque adeo totam Divino judicio cauſam permitere, nec [b] denegatum nobis gladium *arripere*: [a] *Sam.* 24. 13. 2 *Chron.* 24. 22. [b] *Mat.* 26. 52.

A. *At multis proſperè ceſſit adverſus Principem rebellio.*

B. *Ad tempus* fortaſſe, id juſto permittente Deo: ſed multo plures in ſcelerato periere auſo; & ſi minus in hoc ſeculo, ſaltem in futuro; *Proſperitas ſtultorum perdet eos.* Pro. 1. 32.

Cap. 17. *De Præcepto Sexto.*

A. *QVid Sextum vetat Præceptum?*

B. Homicidium quodcunque (in casibus à Deo ipso non exceptis) sive manus, sive cordis, ceu demum [b] linguæ *amarulentæ*, & *ferocientis* ad vindictam; adeóque vim omnem & injuriam, qua corpus lædatur, nedum vita periclitetur. [a] *Zech.* 7. 10. 1 *Ioh.* 3. 15. [b] *Mat.* 5. 22.

A. *Cum autem injusta effusione sanguinis humani nihil Deo magis* [a] *execrabile, quódque tam crebro, tam* [b] *atrocibus Homicidæ pœnis denunciatis interdixerit, quâ potissimum æquitate nititur præceptum?* [a] *Gen.* 4. 11. *Numb.* 25. 33. [b] *Gen.* 9. 5. 6 *Numb.* 35. 31. 32.

B. Triplici, tum quod homo sit [a] *imago Dei*, tum *quisque cujusque* [b] *caro*, nec demum habeat hic orbis vitâ quicquâ humanâ dignius, quippe cui conditæ res omnes, velut ex officio, famulantur. *Gen.* 9. 6. [b] *Eph.* 4. 25. 2 *Sam.* 19. 12.

A. *Cedò casus istos (quos ante insinuasti) à Deo exceptos, in quibus incolumi hoc præcepto sanguinem humanum effundere, & vitâ Privare licet.*

B. 1. In Judiciis capitalibus, *Rom.* 13. 4. *Act.* 25. 11.

2. in bellis ex [a] *justa causa*, [b] *legitima authoritate*, [c] nec prava *Intentione* susceptis [a] 1 *Reg.* 20.

20. 7. b *Deut.* 7. 16. *Math.* 26. 52. c 2 *Reg.* 10. 16. *collat. cum Hoſ.* 1. 4.

3. In *neceſſaria* vitæ ſuæ *defenſione* à ſicario aliquo derepente impetitæ, & ubi nulla eſt effugii, nedum magiſtratus adeundi, copia. Siquidem unicuique vita ſua potior eſſe debet alieni Hominis & privati, in eamque contra fas & Jura *aperta vi* involantis: inde & interpretativè ſibi Miniſter eſt Juſtitiæ; non *ad vindicandum, ſed ad ſe defendendum.*

A. *Id certe lex naturæ ſuggerit; ſed Chriſtianis bellare nefas videtur ex præceptis Evangelicis de manſuetudine, Tolerantia, animoque à* vindicta *maximè alieno. Mat.* 5. *à comm.* 38. *ad* 45.

B. Ad privatam iſta vindictam *primario* referenda non obſcurum eſt. Cæterum & publicam prohibent in bellis de rebus *minutioribus*, aut ubi citra venæ inciſionem ſanari res poteſt. Imo deteſtatur Evangelium (quàm quod maxime) bellandi *ardorem* iſtum & rabiem prorſus *belluinam*, quâ Superbiæ, Ambitionis, Avaritiæ ſtimulis concitati præcipites aguntur nimium multi, profeſſione quidem Chriſtiani, reipſa ſanctiſſimi nominis *Propudia.*

A. *Non itaque vetat Evangelium Bella ſimpliciter?*

B. Minimè, imò profeſſionem militarem tacitè probat Baptiſta, præco jam illuceſcentis Evangelii

Evangelii. *Luc.* 3. 14. & *incaſſum* alias *gladium gereret* Magiſtratus, quo ſubditos tutetur, & Hoſtes coerceat; imò cum bella Juris ſint *naturalis* ad propulſationem publicæ injuriæ, non *Ceremonialis* Judaici, in Evangelio vetari non poſſunt.

A. *Licétne vero bellum Fidei Chriſtianæ oſoribus inferre ad* fidem *inter eos diſſeminandam?*

B. Quin iſtam potius ſementem meſſis fidei poſcit *Pontificiæ*, nos *nullam talem habemus conſuetudinem, neque Eccleſiæ Dei*; quæ ſcilicet edoctæ ſunt à Chriſto, & Apoſtolis, *Militiæ ſuæ tela non eſſe carnalia.* 2 *Cor.* 10. 4.

A. *An ſaltem poſſit Princeps in ſubditos* Hæreticos *gladio animadvertere?*

B. Si aut [a] *Blaſphemos*, aut [b] *Seductores* apertos & obſtinatos (Legibus & paci Publicæ *inimicos*) poteſt: cætera pœnis capitalibus in Religionis negocio prorſus abſtinendum cenſeo: nimirum clementiæ & lenitati *Evangelicæ* minùs conſentaneis; [a] *Levit.* 24. 16. quæ lex *peregrinum* attingit, haud ſecus ac indigenam, & conſequenter Chriſtianum. [b] *Rom.* 13. 4.

A. *Quid autem de* Duellis *ſpontaneis*, *inter privatos ſuopte impetu ſuſceptis, ſtatuendum?*

B. Quanquam iſta ex levi qualibet *occaſiuncula* paſſim veluti *luduntur* (quæ deplorata eſt Hominum *Superbia*, & cæca *vindictæ cupiditas*) nulla tamen fingi poteſt vel occaſio graviſſima, unde *lege* aliqua aut divina aut humana (*naturali*

vel

gravissima, unde *lege* aliqua aut divina aut humana, *naturali* vel *positiva*, (*Civili* vel *Canonica*) *fortes* isti viri Defensionem moris aut facti sui idoneam adornent.

A. *Sed durum est injurias pati & contumelias.*

B. Imò pulchrum est *patiendo* (quod Christianum decet) triumphandas (*a*) superare; nec tamen parti desunt *offensæ* leges: utcunque (*b*) ad *dura*, sed eadem (*b*) *suavissima*, vocat Euangelium Homines Christianos, & cœlestis gloriæ *candidatos*: Durius est cum Legibus non humanis modò, sed Divinis, Duello dimicare; durius in Gehennam detrudi, quam (*c*) stulto affectui non obtemperare. Imò horrenda planè res est, Christiani quenquam nominis ultrò mortis adire discrimen cum apertissimo legis Christianæ fastidio, in quo si animam afflaverit, nulla unquam ei *vera Theologia* (*d*) spem salutis reliquit. (*a*) *Pro.*20.3. *Rom.*12.21. (*b*) *Mat.*5.20.46,47, *&c.* 10.37,38. (*c*) *Tit.*3.3. (*d*) *Luc.*19.27.

A. *An demum* Αυτοχειρια (*sive* cædem sui voluntariam) *Præceptum hoc interdicit?*

B. Prorsus, quia in confesso *proximi* vetatur Homicidium, & *Amor sui* illius est [*a*] *norma* qui debetur alteri; imò peccatum hoc esset maximè inimicum naturæ, cum nemo unquam (teste [*b*] Apostolo) *odit carnem suam*; Adde neminem vitæ suæ esse *dominum*, [*c*] neque cum nupta corpori anima agendum, quemadmodum duræ Cervicis Judæi cum uxoribus suis, quibus ansa

qualibet arrepta, *libellum repudii* dabant. [a] *Mat.* 19. 19. [b] *Eph.* 5. 29. [c] *Gen.* 9. 5.

A. *Qui vero in Fidelium* Albo [a] *recenſetur Samſon hoc* [b] *fecit.* [a] Heb. 11. 32. [b] Jud. 16.

B. Fecit quidem, nec fortaſſe ſine culpa, cujus ei gratiam fecit *miſericors Deus*; ſed ἀυτοφόνοις noſtris exemplum iſtud ſingulare perparum aut nihil proderit.

A. *Quid ita vero?*

B. 1. Quia *Samſoni* animus non erat ſeipſum interimere, niſi hoc ſolum conſilio (quod aliter medio quovis adhibito *naturali* & *ordinario* effectum non iri probè intellexit) ut plurimos *Hoſtes Eccleſiæ Dei* infenſiſſimos ſuæ *ſolius* vitæ pretio è medio tolleret, eadémque operâ Patriæ, Populiſque ſuis, ærumnarum *Dux populi* interſpirationem daret.

Quin 2°. Si vir ſanctus ille non erat *humanitus deceptus*, ſed *latenter à Deo juſſus* (quod ſtatuit B. [a] *Auguſtinus*, & certe præmiſſa ad Deum [b] precatio ſubindicare videatur) actum erit de omni Patrocinio tam atroci Αυτοφόνου flagitio ab exemplo *Samſonis* accerſendo. [a] *De Civit. Dei. l.* 1. *c.* 21. [b] *Jud.* 16. 28.

3°. Ceu Gloriæ Divinæ zelo ſolo accenſus, ejúſque Spiritu per omnia monitus mortem iſtam ſibi conſciverit, ceu aliquid ei Humanæ fragilitatis obrepſerit, in neutro imitandum conſtat; non in illo, quia factum erat *extraordinarium*,

dinarium, nedum in isto, quia *vitiosum*.

A. *Quid ergo existimandum de* Ἀυτοφονίᾳ *ista* nauticâ, *quâ, ne deveniat navis in potestatem hostium, eam ultrò séque ipsos exitio devovent.*

B. Si navis istius *prora* & *puppis* esset salus Reip. non omni colore factum careret: sed cum res ita nunquam se habuit, nec verisimiliter habitura sit, nulla prorsus *Authoritate* Divinâ, nulla *Ratione* talia nituntur exempla.

A. *Quidni Ratione?*

B. *Primò*, Quia vita humana pluris est, quàm quæ gloriolæ mundanæ litari debeat, nulla tantam jacturam cogente *necessitate*.

Secundò, Nihil inde *damni* accrescit hostibus; cessat tantummodò *lucrum*; & se perdere ne quid lucelli capiat hostis, idque sine ullo ejus detrimento, insolentem sapit Logicam, & miram plane Theologiam.

Tertiò, Providentiæ Divinæ plurimum hoc pacto derogatur, quæ aut navem *dediticiam* (idque citra *miraculum*) possit dominis integram ante restituere quàm ad oram hostilem captiva applicuerit, aut aliunde damnum facilè resarcire, quorum certè prius illud de amissa vita sperandum non est.

A. *Quid ergo in summa de* αὐτοφόνοις *istis & consimilibus statuendum?*

B. Nimirum cogitare seriò debent secũ Christiani, non esse *ludendum* cum ipsorum vitis, &

animabus immortalibus, quarum ſupremo Domino & tremendo Judici, tanquam ab *Oeconomis*, ratio ſevera admodum ſit olim reddenda.

A. *Cum ea vitæ caducæ & mox in nihilum abituræ habenda ſit ratio, multò magis immortalium* Animarum, *quæ precio quovis mundano æſtimari nequeunt.* Mat. 16. 26.

B. Omninò, proinde quod ad Animas alienas attinet, hoc maximè *Superiorum* intereſt, (*a*) *Magiſtratus* intelligo, (*b*) *Patres-familias*, *Præfectos* & *Tutores* literariæ Juventutis, *&c.* præcipuè vero (*c*) *Paſtores* Eccleſiæ, quorum peculiare munus eſt *cura animarum.* (*a*) *Pſ.* 34. 11. 2 *Chron.* 19. 30. & 34. (*b*) *Gen.* 10. 19. *Joſh.* 24. 15. (*c*) *Ezek. cap.* 33. 34.

A. *Quid vero de privatorum hominum correptione quam vocant* fraterna *ſtatuendum* (*nam ad hoc præceptum vulgò reducitur?*)

B. Charitatis id eſſe *medicinam* Animabus valde ſalutarem, cum in (*a*) lege, tum in (*b*) Euangelio præſcriptam; ſed quæ hinc fratrum vel turpi *incuria*, vel prava animi *timiditate*, illinc fœderato quaſi malarum cupiditatum complexu, atque adeo reprehenſionis impatientia, & faſtidio, paſſim ferè (proh dolor) exolevit. (*a*) *Lev.* 19. 17. (*b*) *Luc.* 17. 3. *Col.* 3. 16.

A. *Quomodo adhiberi debet reprehenſio Chriſtiana?*

B. 1°. Ex notâ tantùm aut prorſus (*a*) veriſimili (eaque (*b*) graviori) plerumq; culpa, (*c*) non

(*c*)non autem in *Delatorum* rumuſculis fundata. (*a*)Hinc in Hannam graviter peccavit Eli, 1*Sam.* 1.14. & in *Jobum* cognati. (*b*) *Iſ.*29.21. (*c*) *Eccleſ.*7.21. *Prov.*26.20.

2°. *Prudenter*, ſervata (*a*) *temporis*, aliarumq; *Circumſtantiarum* commoditate, ne fortè medicina in venenum faceſſat. Hinc non ſunt temere (*b*)qui nobis *dignitate multum anteſtant* monendi, cumque id poſtulare videtur *neceſſitas*, non ſine debito (*c*) *modeſtiæ temperamento.* (*a*)*Pro.*15.23. (*b*) *Job.*34.18. 1*Tim.*5.1. (*c*) 1*Sam.*25.23,24.

A. *Quid ſi peccanti animus* (*putà bile, aut vino*) *efferveſcat?*

B. Expectandum potiùs dum ad ſe (*a*) redeat, לרוח היום, (*b*) *ad auram diei*, ſedatis nimirum affectibus, & ad reprehenſionem fœliciùs imbibendam magis compoſitis. (*a*) 1*Sam.* 25. 37. (*b*) *Gen.* 3. 8.

A. *Perge ad Cautelas reliquas.*

B. Præcipuæ ſunt, ut nullum *Corripiens* ſibi finem, niſi (*a*)*animæ liberandæ*, (*b*) *ædificationis* & *medelæ* Fratris proponat, quem itaq; cum debita lenitate & miſericordia tractabit, memor tamen *non* (*c*) *morbo parcendum, ſed ægro.* (*a*)*Ezek.*33. 9. (*b*) *Mat.*18.15. *Gal.*6.1. (*c*) *Tit.*1.13.

A. *Correptum more Chriſtiano quid decet?*

B. (*a*) *Humilitas*, (*b*) *Gratitudo* Deo pariter ac Hominibus, vitæq; (*c*) *emendatio.* (*a*)2*Sa.*12.13. (*b*)1*Sam.*25.32,33. *Pſ.*141.5. (*c*) *Neh.*5.12. *Pro.*29.1.

CAP. XVIII.

De Præcepto Septimo.

A. *Quid vetat Præceptum Septimum?*

B. *Scortationem*, atque adeo quamvis *immunditiem* libidinoſam, corpore, vel mente ſola perpetratam, & quoſcunque laſciviæ aut *fomites* aut *incentiva*.

A. *Quid autem affirmatè præcipit?*

B. Ut Caſtitatem omnem & Continentiam corporis, animique, diligenter excolamus. 1 *Theſſ.* 4. 4.

A. *Quomodo dividi ſolet Scortatio?*

B. In *ſimplicem* & *compoſitam*: illa eſt *ſoluti* cum ſolutâ; (& uſitatò dicitur *Fornicatio*) hæc *conjugati* cum conjugatâ, aut ſi conjugatus ipſe ſcortator, cum ſolutâ; & vulgo nuncupatur *Adulterium*.

A. *Quid ſibi volunt qui* ſimplicem *fornicationem vix* (*aut ne vix quidem*) *concedunt ab hac lege damnatam, neque propriè dici peccatum?*

B. Cogitationes Animorum (*ſcrutatori omnium*) Deo judicandas relinquimus: interim certiſſimum eſt Fornicationē omnem præcepto ſeptimo *aperta* fronte contradicere, nec quicquam Doctrinæ Euangelicæ, velut indicto ei per *præconem* Bello, magis adverſari.

A. *Cur hoc Euangelio tam inimicum ſtatuis?*

B. Quia tantum abeſt (quæ ſanctiſſima eſt illius

illius indoles) *Euangelium*, ut fornicatori ipſi fucum paret *meretricium*, ut contra illius fœditatem præ cæteris ferè criminibus ſtudioſè exaggeret, & nativis coloribus graphicè depingat. 1 *Cor.*6. *v.* 15. ad 20.

A. *Sin ea ſit hujus criminis turpitudo, cur itaque à Concilio Hieroſolymitano* (in (*a*) Spiritu Sancto legitimè, *& verè* congregato) *pari cum* (*b*) *rebus adiaphoris jugo copulatur?* (*a*) *Act.* 15. 28. (*b*) *v.* 29.

B. Quia Gentes πεφολυτοι, in quorum gratiam coactum eſt, & ad quos literas iſtas *Decretorias* dedit *Concilium*, ante factam profeſſionem Euangelii, fornicationem *in minimis* ponebant (ut notum eſt eruditis, quod etiam ſatis conſtare videtur ex 1 *Theſſ.* 4. 3, 4, 5.) Hinc itaque ne Chriſtianiſmum profeſſis in *caſtiſſimæ* religionis opprobrium hærerent *veteris contagia morbi*, de re olim ab eis pro levi habita, ſed turpiſſimo *quoad veritatem* crimine, diſtrictè monendos oportuit. *confer Apoc.*2.14.

A. *Quid itaque cenſendum eſt de* Concubinis *&* Polygamia Judæorum *fidelium ſub lege?*

B. Quæſtio de Concubinis in cardine *Polygamiæ* vertitur; erant enim Concubinæ non Scorta, ſed (*a*) Uxores, quanquam *ſecundariæ*, per deſponſationem ductæ, etſi non per *ſcriptam dotem*, & uxori *primariæ* quodammodo (*b*) obnoxiæ. (*a*) *Gen.*16.3. *& c.*30.4,9. (*b*) *Gen.*16.9.

A. *Cum in difficili admodum & lubrico versatur Polygamiæ Patriarcharum sub lege (quam tamen Deus nec punivit unquam, nec liquidò reprehendit) sufficerit in præsentia quærere utrum possit illa excusari sub Euangelio?*

B. Non potest; *Primò*, ex lege Apostolica, quæ statuit ut *unusquisq; vir suam uxorem habeat, & proprium virum* (τὸν ἴδιον) *quæq; fœmina*, 1 *Cor.* 7.2. ubi numerus singularis utrisque adhibitus (adjecta emphasi [τὸν ἴδιον] quæ indubiè ad partem utramque attinet) Polygamiam ab Ecclesia Christiana prorsus eliminare videatur.

2°. Inter laudabilis Episcopi [*a*] characteres iste ponitur, quod sit *unius uxoris vir*. Eius autem (utpote Pastoris) exemplum toti sine dubio [*b*] gregi imitandum proponitur. [*a*] 1 *Tim.* 3.2. [*b*] *Phil.*3.17.

3°. Concessa Christianis Polygamiæ copia, tum una uxore dimissa tutò quis poterit (extra crimen *adulterii*) alteram ducere, at consequens ex [*a*] ore ipsius Christi *interdictum constat*: ergo & antecedens. [*a*] *Mat.*19.9.

A. *Quid si loco B.* Pauli, *viz.* 1 *Tim.*3.2. *secundæ tantùm prohibentur nuptiæ?*

B. Indulta quidem Polygamia nil opus erit *secundis* nuptiis: neq; istas ulli prohibet Euangelium, cum eadem possit esse ratio *secundas* conficiendi quæ *primas*, vitandum scil. *Vxionis* periculum. 1 *Cor.*7.9.

A. *Licetne*

A. *Licétne uxorus demortuæ* ſororem *in matrimonium accipere?*

B. Nequaquã, nam miſſo quòd *legibus* quibuſcunq; Chriſtianis, qua *civilibus*, quà *canonicis*, ei conſtantiſſime obnuncietur, *legi* repugnat Divinæ, quæ dicit, *nuditatem non deteges uxoris fratris tui*, *Lev.*18.16.& 20.21. *Parium* vero *par eſt ratio.*

A. *Scil. vir non ducet uxorẽ* fratris, *ergo neq; fœmina in matrimonio habebit maritum* ſororis. *Sed quid noſtrâ Chriſtianorũ intereſt iſta lex* Levitici?

B. Quantum ſane ipſius populi *Judaici*, ex perpetuo Theologorum conſenſu. Imo ſuffragatur ratio, quia in gentibus illis internecioni *devotis*, praxin contrariam averſatus eſt Deus, & ſeveriſſime ultus. *Lev.* 18. *à comm.* 24. *ad fin. cap. coll. cum initio v.* 3. *& præcipuè cum c.*20. *v.*11. *ad* 24.

A. *Certè quod ipſis gentibus interdictum eſt, Chriſtianis minime licere, nullus ibit inficias. Legi tamen ſupra memoratæ diſſentire videtur altera*, Deut. 25. 5. *ubi* fratris defuncti *uxorem in matrimonium ducere non modo* permiſſum *eſt*, *ſed* præſcriptum, *v.* 9.

B. 1°. Id nunquam permiſſum eſt *ſimpliciter*, ſed in *certo caſu*, *v. g.* ſi *improles* è vivis exceſſerat Frater (ut conſtat ex citato) ad vitandum ſcilicet hæreditatum [a] *confuſionem.* [a] *Num.*27. *ab initio ad v.*12. *& Deut.*25.5,9.

2°. *Exceptio non tollit ſed firmat regulam in*

non

non exceptis. Supremo visum est legis latori in isto casu cum vetere populo suo dispensare, quod in aliis non fecit.

A. *De* Primorum *quos vocant* consobrinorum *nuptiis, quid ex lege Divina eruendum?*

B. 1°. Eas non *disertè* neque ex consequentia *evidente* aut *necessaria* prohiberi. At

2°. Cum in vetitorum graduum *Orco* [*a*] proximè consistant, tutius & [*b*] ἀκεραία pietatis Christianæ multò dignius videtur ab istis in solidum abstinere. [*a*] *Lev.*20.20. [*b*] 1*Th.*5.22.

A. *Quid itaque sibi volunt, qui in Gradibus prohibitis* Dispensationes (*vel millenas in die, si adsint* mercatores) *promptissimè* nundinantur?

B. Insignem certè faciunt majestati Divinæ contumeliam, illius *voluntatem* suæ ipsorum *libidini, quæstuique*, turpiter & sacrilegè mancipando.

A. *Sed fortasse leges istæ de Connubiis Judaicæ* Judiciales *erant &* positivæ, *istique populo peculiares, proinde in Ecclesia Christiana aut* emortuæ, *aut saltem* dispensabiles.

B. Imo hypothesin istam paulo ante ab imis subruimus, ubi palam fecimus prædictas leges *Gentium* quoq; profanarum fuisse obligatorias, cujusmodi lex Hebræorum *judicialis* nulla erat, cum minimè data sit Gentibus.

A. *Quid proximè de* Repudiis *&* Divortiis *dicendum?*

B. Repu-

B. Repudia propriè ſunt Matrimonii per ſponſalia tantum *inchoati*, Divortia *conſummati*, quorum hoc inſigne diſcrimen eſt, quod ſemper potuerint Repudia fieri ſine maculâ, modo cum debita *ſolennitate*, & *ex cauſa* valde gravi non ante ſponſalia per repudiantem deprehenſa; quod ſecus habet in Divortiis, (ſaltem *Chriſtianis*) & *perfecto* matrimonio, niſi in caſu unico Adulterii.

A. Licuitne Judæis uxores dimittere pro arbitrio, vel ob cauſam quamlibet leviorem?

B. (*a*) Non licuit, etſi (*b*) *permiſſum* hoc eis fuerat *ob duritiem cordis*, cum nullam hujuſmodi Divortiis aut irrogare *pœnam*, aut denunciare Deo placuit. (*a*) *Mat.* 19. 8. *Mal.* 2. 14, *&c.* (*b*) *Mat.* ubi ſupra.

A. Sed locus iſte Mal. 2. 14. *ab aliis aliàs exponitur, ad permiſſionẽ uſq; Divortiorum* approbatoriam.

B. Ita, quin fortaſſe non ſatis attendentibus ad verba aut ſcopum Textûs; multum enim abeſſe videtur à loci ſententia, ut confirmatũ eat *injuſta* illa & *temeraria* Judæorum divortia. Quippe *perfidiam* maritorum ibi graviter perſtringit, & uxorem vocat *ſociam*, eamq; *Fœderalem* mariti, & conſequenter haud temerè, imo niſi in cauſa Adulterii, nulla lege Euangelica dimittendam.

A. Uxores vero adulteræ non dimittendæ, niſi prorſus è vivis, erant. Lev. 20. 10.

B. Certè, ſi accuſarent mariti, quod indubiè

biè illorum *arbitrio* permittebatur. *Joh.*8.11.

A. *Nunquid eadem eſt uxoris poteſtas in maritum Adulterum?* ita enim videtur, *Mar.*10.12. *& in lege* [a] *Civili par ferè utriuſque ratio.* [a] *C.*5.17.8.

B. *Uxor ſub poteſtate viri eſt*, tanquam [a] *capitis*, neq; poteſt [b] *Dominium exercere in virum.* Locus autem ex Euangelio nihil habet, unde colligatur id Fœminæ licere (quippe ſemper obſtabit diverſiſſima uxoris & mariti conditio [c] divinitus præſcripta) ſed *ex hypotheſi*, quod maritum *voluntariò* deſerit, Adulterii manifeſtam pronuntiat. (*a*) 1*Cor.*11.3. (*b*) 1 *Tim.*2.12. (*c*) *Gen.*3.16. Interim haud negandum leges *humanas* in tali caſu *uxoribus* quoque poſſe ſuccurrere, quod fecit Lex Imperatoria. *v. Legem modò citat.*

A. *Supereſt ut de rebus illis quæ libidinis & impudicitiæ in hoc præcepto vetitæ plurimis videntur Adminiſtræ* (*quales ſunt præcipuè* Saltationes *&* Choreæ *publicæ* (*uti ſolent exerceri*) Ludi Theatrales, *& id genus alia*) *paucis quid tibi videatur exponas.*

B. Longum eſt ad iſta punctim reſpondere, ob immenſam *circumſtantiarum varietatem:* ſed cum graviſſimis nunc dierum, (imo & antiquitùs) ſcatere ſoleat corruptelis ejuſmodi ludicrorum uſus (in quæ Patres Eccleſiæ antiquiores eo nomine vehementiùs detonarunt) poterit Chriſtianus quiſque tantiſper ab eis *abſtinere*, dum mendis & fœditatibus ſuis *fœlice aliquâ manu* repurgentur.

CAP.

CAP. XIX.

De Præcepto Octavo.

A. *QVid eſt Furtum quod prohibetur in præcepto octavo?*

B. Eſt contrectatio rei alienæ, invito Domino.

A. *Quotuplex eſt?*

B. Variè dividitur: nos tantum quæ noſtri ſunt inſtituti delibamus: 1. itaque ratione modi, vel eſt *apertum*, quod dicitur *Latrocinium*, vel *occultum*, & ſpecialiter appellatur *Furtum*; utrumque rurſus vel eſt *directum*, vel *indirectum*.

A. *De Latrocinio* directo *non eſt dubitandi locus*, *ad* indirectum *verò quænam referenda?*

B. (*a*) *Bella injuſta* (quatenus Bona & facultates, non *vitam* alienam, petunt) (*b*) *empta*, *conſtupratáq*; *judicia*, (*c*) *ferreus* erga tenuiores *locupletum* animus, & nimium *contracta* manus, *Patronorum* in clientes, & (*d*) *Potentiorum* in debiliores immanitas, rigor, & rapinæ, *ſacrilegium*, (*e*) Detentio notoria *Decimarum*, & (*f*) patrimonii Eccleſiaſtici contra Eas & Jura (vel in Toto vel in Parte) & iſtis conſimilia plurima. (*a*) 1 *Reg.* 20.3,5,6,10. (*b*) *Am.* 5.12. (*c*) *Deut.* 15.7,8. collat cum *Prov.* 3.27. (*d*) *Iſ.* 3.14,15. & *c.* 5.7. (*e*) *Mal.* 3.8,9. (*f*) *Act.* 5.3,4.

A. *Quæ autem ſub Furto* indirecto *continentur?*

B. [*a*] *Simonia*, Contractus in Civilibus quicunque

cunque [b] *malâ fide* instituti, atque adeo *insidiosa* quævis rei alienæ Piscatura. [a] *Mat.* 21. 12. (huc enim locus iste à veteribus passim accommodatur.) [b] *Mic.* 6. 10, 11, 12. 1 *Thess.* 4. 6.

A. *Quin primo dispiciendum videtur, utrum* Proprietas *ista* (*quæ* Meum & Tuum *vulgo dicitur*) *vel potius Bonorum* Communitas *apud Christianos obtinere debeat.*

B. Rectè mones, alioqui Furtum *Nomen* erit, præterea nihil; etenim sublata Proprietate Furtum tollitur. Verum cum ista Communitas non sit nisi somnium *Anabaptisticum* ab Ethnico *Platone* mutuum, non est quod multùm morari nos debeat.

A. *Paucioribus itaque revincatur.*

B. Hoc magna quidem ex parte jampridem fecit *Aristoteles* in *Politicis*. Ad *Anabaptistas* dicimus,

1. Hinc integrum eliminari Præceptum ex Decalogo, saltem inter Christianos, quorum omnia secundum ipsos (illorum certe Patres) debent esse *communia*.

2. Hinc omnem quoque frangi *industriam*, & turpi ignaviæ, adeoque virtutis Heroicæ omnis [a] fastidio latam aperiri fenestram. [a] *Mal.* 1. 10. 1 *Tim.* 5. 17, 18.

3. Tolli quoque *Liberalitatem* in egenos, toties, idque tam solicitè, in Scripturis commendatam; & verbo, omnia in *Chaos antiquum* relabi.

A. *Ainn*

A. *Aiunt vero Communitatem ſuam invaluiſſe temporibus optimis Apoſtolorum, quidni & noſtris obtineat?*

B. 1. Apud aliquam Eccleſiæ partem, Fideles ſcilicet Hieroſolymitanos, *Act.* 2.44. non vero apud totam Eccleſiam, quippe legimus nonnullis ſuas fuiſſe proprias & privatas Domos, uti *Mariæ* Matri *Johannis*, *Act.* 12.12. imò & *S. Petro*, *Mat.*8.14.

2. Communitas erat pure *voluntaria*, nullo cogente præcepto Divino, [a] decreto nullo Apoſtolico. [a] *Act.* 5.4.

3. Bonorum Communitatem quali utebantur tunc temporis nonnulli Chriſtiani, *cæteris paribus* & hodie uſurpari poſſe concedimus, *i.e.* ſi eadem per omnia *Temporum* eſſet & *Circumſtantiarum ratio*. Interim à caſibus *ſingularibus* ad *ordinarios* turpiſſimè arguitur.

A. *Sed rerum omnium Proprietas fundari videtur in* gratia, *neque conſequenter jus ullum* infidelibus *eſſe in iis quæ poſſident. Omnia veſtra ſunt* (inquit Apoſt.) *vos autem Chriſti.* 1 *Cor.*3.22,23.

B. Non ibi loquitur Apoſt. de Proprietate *temporali*, ſed Beneficio *ſpirituali*. Omnia Fidelium ſunt, *i.e.* illorum ſpirituali commodo per gratiam ſubſerviunt. Adde quod dicatur Deus [a] Terram dediſſe *Filiis Hominum* (indefinitè) non autem ſolis *Fidelibus*, qui quidè iſta phraſi tariſſimè indigitantur, [b] *Infideles* ſæpe. [a] *Pſ.*

115.

115.16. *conf. Deut.*2.5. cum *Ezek.*29.9. *Dan.* 4.17. [*b*] *Gen.*6.2. *& c.* 11.5. *Pſ.*4.2. *& c.*

A. *Quid cenſes de* Sacrilegio?

B. Horrendum eſſe, ſi quod aliud *Furti* genus, Deo ipſi quod [*a*] *peculiariter*, (non modo tantum *generali*) ſuum eſt, abripiens. *Suum* autem eſt quod *publico* ejus cultui & miniſtris Eccleſiaſticis ſeparatum dicatur. [*a*] *Num.* 18. 20,21. *Mal.*3.8,9. [*b*] *Pſal.*24.1.

A. *Non ergo licet* alienare *Fundos & Bona Eccleſiaſtica?*

B. Ab *hoc* vel *illo* clerico (ſi demerebitur) ad alium clericum magis idoneum licet, quia ſic ſemper ſunt *Dei*, quod modò diximus, *i. e.* illorum qui ſolenni ejus *miniſterio* in Sacris ad id ſpecialiter *ſeparati* vacant: ad alios non licet, niſi de conſenſu *manifeſto* ipſius Dei, quia ſic quod ſuum eſt aliorſum vi *ſacrilega* raptatur. Huc minime pertinent *monaſteriorum* ſuperiore ſeculo abolitorum proventus, quos non miniſterio *Eccleſiaſtico*, ſed rei potius *Eleemoſynariæ*, aut ad minimum *Literariæ* ſepoſitos, ad uſus conſimiles à Principe inflecti nil vetat.

A. *Sed durum Os* Sacrilegii *à multis integrum deglutitur.*

B. Ita, quia *plenum medullæ*; quin male ut plurimum in ventriculo coqui nimis multæ docent Hiſtoriæ. Huc accommodari poterit *Job* 20.15.

A. *Quid*

A. *Quid ergo faciendum iis quos iſte caſus aſpicere rectà videatur?*

B. Quid aliud, niſi ut maturè *reddantur Deo quæ ſunt Dei*, quod ut cum minimo fiat poſſeſſorum diſpendio, legum eſt Chriſtianarum ex *poſtfacto* (& in ſecunda quaſi *Tabula*) cum primis providere. *Mal.* 3. *à v.* 8. ad 13.

A. *Hæc optare quidem* pietatis *eſt*; *ſperare, ſingularis animi fidentiæ. Quod impoſſibile tamen apud Homines, Deo poſſibile. Sed an idem de* Decimis *dolo malo ſurreptis, aut aperta vi expilatis, ſentiendum?*

B. Prorſus, idq; *ex abundanti*, lege ſcilicet Humana, eaque omnium conſtantiſſima (ex quo primum facta eſt Eccleſiæ Decimarum donatio) corroboratis, & in contractibus nunquam non Eccleſiæ *reſervatis*.

A. *Num itaque ſolo nititur* Humano *Jure Decimarum ſolutio?*

B. Equidem ſi *ſolo*, bonorum eſt civium parere legibus, quarum communi beneficio quod ſuum eſt ſibi habent: nam hìc quoque qui ſciens volens *offendit in uno, reus tenetur omnium.*

A. *Sed de Jure Divino* Euangelico *quid dicendum?*

B. Præmiſſo, quod aliud ſit Decimarum *ſeparatio*, aliud ſeparatarum *ſolutio*, & quod tantum de poſteriore quæritur, intrepidè ſtatuendum Decimas iſtas *ex hypotheſi*, i. e. ubi ſemel Deo

dicatæ fuerint, juris esse *Divini*, &, nisi jure suo cedente Deo, (*a*) prorsus *immutabilis*; neque enim potest jus (inferius) *humanum* præjudicare (superiori) *divino*. Quid, quod Euangelium nullibi Decimas abrogaverit, etiam (*b*) ante legem solutas, quin potius obliquè (*c*) communiat? [*a*] *Act.* 5. 4. [*b*] *Gen.* 14. 20. *&c.* 28. 22. [*c*] 1 *Cor.* 9. *à v.* 9. *ad* 15.

A. *Perge ad* Simoniam, *quam Furti speciem superiùs enumerasti.*

B. Ea quam hic præcipuè attingimus est Datio vel Acceptio *pecuniæ* aut *emolumenti* cujuscunq; Temporalis ob jus aliquod aut *Beneficium spirituale*, ceu purè *Ecclesiasticum.*

A. *Unde id nominis contraxit?*

B. A Simone illo *mago*, qui Spiritum Sanctum (i. e. illius dona) precio emere cupiebat. *Act.* 8.

A. *Sed videtur Simonia, quam nunc vocamus, à primâ illâ permultum distare, cum certum sit χαρισματα sive dona spiritualia quæ affectabat Simon, neque de Jure neque de Facto redimenda, Spiritu sancto pro* (a) *suo unius arbitrio cuncta* gratis *dispensante* (*quo magis execrandum Simonis Crimen;*) *secus habet in Beneficiis & rebus Ecclesiasticis, ad quarum collationem* Humanæ *voluntatis consensus requiritur.* (*a*) 1 *Cor.* 12. 11.

B. Discrimen esse haud obscurum fatemur; neque tamen Simoniam *hodiernam* ad primævam

vam illam ſat commodè revocari poſſe dubitamus.

A. *Profer rationem.*

B. De Clericis miniſterio ſacro (ſi qui ſint *minus idonei*, i. e. non ſufficienter ut voce utar Apoſtolica,) διδακτικοῖς, in expedito res eſt. Cum enim ad id muneris rite obeundum *antecedenter* neceſſaria ſint (idq; debita *proportione*) dona *ſpiritualia* & virtutes, (*a*) quà practicæ, quà ſpeculativæ, qualéſque *auro* ſtatim *argentóque* emi, ubi illis opus eſt, non poſſe conſtat, (magis quam dona ipſa *miraculorum*) ſatis liquet apud talem *Simoniacè* promovendum pecuniam ſuam donorum ſpiritualium *inſtar* obtinere, cum illâ impetrare ſatagit, *impetráque*, quod iſtis tantummodò debetur. (*a*) 1 *Tim.* 3.

A. *Certe hæc eadem ſpecie videtur, licèt non gradu, cum prædicta Magi Simonia. Quid vero ſi Clerici cætera ſint idonei?*

B. Caſus ſemper excipio *raros* admodum & *ſingulares*: Cum vero illi quoque rem ſacram, viz. *Curam Animarum*, qua citra opem Sp. Sancti *ſpecialem* pro muneris dignitate, defungi nequeunt, obtorto collo (i. e. *mercede* data) ſibi trahere nihil vereantur, ad *Simoniæ* propriè dictæ Prædicamentum reductivè illud pertinere dubitandum non eſt. Mitto quæ ab Eccleſiæ *Patribus* & *Conciliis* paſſim effulminantur in *Simoniam* qualis poſt ipſum Simonem ad hodi-

ernum usque diem extitit. Unum hoc indicare liceat, adversus Simoniacum, *quemvis, etsi* (a) *maximè infamem admitti,* (b) *sicut in crimine læsæ Majestatis, eumque* (c) *Hæreticis annumeratum.* (a) *Decret* 5. 3. *cap. Tanta.* (b) 15.3. *Sanè.* (c) 1. 1. *cap. Presbyter.*

A. *Interim quid de* Patronis *Simoniacis dicendum?*

B. Quod veritatis est, eos *Pestes* esse Ecclesiæ, *sui amantes,* Animarum osores, profligantes Conscientiam, ut ex ipso *Dei Fisco* depeculentur pecuniam: nec Christianæ Reip. quicquam fere magis interesse, quam ut quos non regit *metus Numinis,* coerceat *authoritas Magistratus;* eadem saltem juramenti Religione adversus Simoniam teneri, qua Clericus.

A. *Instabunt tamen se dignos promovere, ita saltem à* Superioribus *judicatos.*

B. Quasi vero ignorent ipsi dignos non esse Homines *perjuros,* quique non per *januam* intrant canonicam, sed, ut Jupiter iste Poeticus, *imbre Aureo* per tegulas delabuntur.

A. *Multi quoque* Usuram, *quæ est* Acceptio pecuniæ à Debitore supra sortem, *Furti hujus* indirecti *postulant.*

B. Ut quod res est fateamur, malè semper audivit *antiquitus,* in orbe non solùm *Christiano,* verum etiam *Ethnico* & *Infideli.*

A. *Nunquid ergo illicitam putas?*

B. Non

B. Non est hoc *temere* & *simpliciter* affirmandum, & multa poscit (quæ *Enchiridii* angustiis includi haud facile sustinebunt) accurata talis controversiæ ventilatio. Nam 1° distingui solet usura in *compensatoriam* & *lucratoriam*: compensatio autē 2ª est, *æquitatis* scilicet & *gratitudinis*; illa, quâ Creditori damnum (si quod acciderit) *grave* & *improvisum* ex creditæ pecuniæ carentiâ à Debitore ultrò resarcitur; ista, cùm Debitor, nullâ *pactione* interpositâ, *minis* nullis, *vi* nullâ impellente, lucri sui particulam aliquam Creditori delibandam *dono* porrigit; quarum neutra (vel ex hujus parte, vel illius) Christianæ legi adversatur, ut è *comparatorum* legibus arguere licebit, ex *Luc.* 6. 33.

A. *Cum hoc* usuræ *genus* simpliciter voluntarium *esse constat, de eo nullus, ut puto, scrupulus hærere poterit. Quid vero de* lucratoria *illâ, & factâ legibus humanis* necessaria, *arbitrandum?*

B. Leges quidem eam *tolerantes* (*Anglicanas* nostras potissimum loquor) minimè damnandas, cum id ob Christianæ charitatis defectum quodammodò *invitæ* faciant, ipsamque interim usuram probris insectentur gravissimis, ut legi *Euangelicæ* parum conformem: nec sane tam *tolerare* videntur quam *pudefacere*, & malum, (alioqui ferox & indomitum) finibus utcunque certis continere. *v. Stat.* 37. *Hen.* 8. *c.* 9. *& 5 & 6 Edw.* 6. *c.* 20 (quæ quidem lex, etsi nunc anti-

quata, omnem ſimpliciter uſuram ſeveriſſimè damnavit) 13 *Eliz. c.*8. 21 *Jac.* 17. ad calcem, *ubi clauſula quædam occurrit exceptoria notatu non indigna.*

A. *Judæis quidem fœnerare* Fratribus *omnino*(*a*) *interdictum conſtat, ſed an Chriſtianis lege Euangelicâ, res in ambiguo poſita videtur.* (*a*) *Deut.*23. 19. 20.

B. Multi tamen à Chriſto prohibitum ſtatuunt, *Luc. 6.* 35. [δανίζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες] cúmque ea ſub lege *Moſaica* vigebat charitas, ut *Fratribus* mutuum daretur ſine fœnore, indignum prorſus exiſtimant *Euangelio aureum* illud *Charitatis* laxare vinculum; Euangelio, inquam, cui *à fronte* præfulget Adamantis cuſpide, *Servatoris* ſanguine, inſculpta vox (*a*) *propria*, CHARITAS. (*a*) *Joh.* 13. 35.

A. *Sed* Ædium, Fundorum (*& ſimilium*) *locatio nunquam male hactenus audivit, cur itaque ſuſpecta redderetur* pecuniæ *fœneratio?*

B. Quod illa *nullibi, nunquam* fuerit reprehenſa, hæc *omni ævo* & *loco*, ſatis indicat (vel ipſo *generis humani* ſenſu) *minime parem* utriuſq; *rationem*; nec forſitaſſe ita tenebris involutum eſt diſcrimen, quin poſſet (modò ponerentur *præjudicia*) in lucem vindicari. Sed de hoc, *Obe, jam ſatis eſt.* Liceat modò coronidis vice hoc unum monere, *In dubiis ſequenda tutiora:* certiſſimum eſt *non fœnerantem* non peccare, an æquè hoc certum

tum de *fœnerante* fuerit, ſuo *per me* quiſque ſuffragio & ſenſu fruatur.

A. *Hoc itaque miſſo, in contractibus ordinariis quæ regulæ generales, ut Furtum vitetur, obſervandæ?*

B. *Prima,* Ut juſta ſint *pondera, & menſuræ. Lev.* 19. 36. *Am.* 8. 5.

Secunda, Ut *proba* & *utilia* ſint mercimonia, emptoríſque precio *proportionata, Am.* 8. 6.

Tertia, Ut Emptoribus, ſi quid in iſtis (aut alio quovis mercaturæ nomine) peccatum fuerit, re cognitâ, damnum præſtetur. *Luc.* 19. 8. *Contrahentes* autem in omnibus regat (ubi loquitur) *Scriptura,* ubi tacet, propria *Conſcientia,* optimorum & prudentiſſimorum conſiliis adjuta; memores Hominum dolo malo in re qualibet erga quoſvis utentium *ultorem eſſe Deum.* 1 *Theſſ.* 4. 6.

CAP. XX.

De Præcepto Nono.

A. *Quid nonum vetat præceptum?*

B. *Mendacio*, falsíſque *Criminationibus*, *& Calumniis* alicujus vitam, nomen aut fortunas impetere.

A. *Quid præcipit?*

B. Ut in aſſerenda *veritate* iſta omnia, quoad licet, unicuique ſarta tecta præſtentur.

A. *Num itaque* Proximi *nomine in præcepto* quemvis *intelligendum putas?*

B. Sic, Domino ipſo exponente, *Luc.* 10. *à verſ.* 27. *ad* 38. Cum enim *Amor proximi* ſecundæ legis Tabulæ vim omnem contineat (ut *ibi. v.* 27. *& alibi*) nec ulli prorſus mortalium facienda ſit injuria, Proximum iſtum unumquemlibet indigitare neceſſe eſt.

A. *Quid eſt Mendacium?*

B. Eſt rei falſæ ſignificatio quævis cum *voluntate* fallendi.

A. *Quotuplex eſt?*

B. Triplex; *Perniciosum*, cujus finis eſt proximi damnum: *Officiosum*, quod in illius bonum dirigitur; & *Jocoſum*, quod ejuſdem voluptatem & delectationem primario reſpicit.

A. *Ecquid horum licere nullum arbitraris?*

B. Certe nullum probatur in verbo Dei, quin potius contra mendacium *in genere* illuſtria extant

tant (a) edicta, (b) severissimis sanctionibus munita. (a) *Lev.* 19. 11. *Col.* 3. 9. (b) *Ps.* 5. 6. *Apoc.* 21. 27.

A. *De mendacio Pernicioso nulla lis est quin maxime (a) exosum sit Deo & detestandum Hominibus, quippe quod in jura charitatis perinde ac veritatis maligne invadit.* (a) *Ps.* 52. 3, 4, 5. & *Psal.* 120. 3, 4. *Prov.* 6. 9. 19.

B. Verum multi non idem sentiunt de mendacio *Officioso*, & *Jocoso*; neq; diffitendum est ista *virtutes* ferè videri posse, ubi cum illo vitii *monstro* conferuntur; non posse tamen in totum excusari, nec ullius mendacii praxin Homini Christiano convenire asserendum.

A. *Fac initium à mendacio Jocoso.*

B. Diligenter hic notandum,

Primò, (a) *Ironias*, (b) *Hyperbolas*, (c) *Metaphoras*, & id genus (d) alias locutiones figuratas (ubi rite adhibentur) mendaciorum nomine minime denigrandas, utpote quæ veritatem (minus quidem usitata, at satis nota veste conspiciendam) exhibent, quibusq; tota scatet Scriptura. (a) 1 *Reg.* 18. 27. (b) *Joh.* 21. 25. (c) *Joh.* 15. 1. (d) *Mat.* 26. 26, 28, & *pass. alibi.*

Secundò, Si quis ad jocum & voluptatem, sermonibus suis interspersérit, quod tamen signo quovis aliter habere indicat, non videtur ad mendaciorum familiam tale dictum pertinere, magis quam *Ironiam* aut *Tropum* consimilem.

Tertiò,

Tertiò, Effrænem tamen ejuſmodi dictorum jocularium uſum vix culpa carere, cum *gravitatem* haud deceat Chriſtianam; certe non periculo, cum lingua iſtis nimium *aſſuefacta* in ipſius mendacii laqueum facilius incauta proruit.

A. *Sic autem ſubductis rationibus quid habes contra mendacium quod dicitur* Jocoſum?

B. Primò, Quod ſit minime neceſſarium: poſſunt enim cordati quivis (*a*) (modò Chriſtiani) ſatis in quotidiano convictu oblectari ſine mendacio (*a*) *Phil.*4.4.

Secundò, Quod virtuti formaliter inimicum; nec obſtat finis (aut potius Jocantis *Intentio*) quo minus mendacii *formalis* & directi ſtigma gerat. Nam qui ſciens malum facit ut eveniat bonum, *ſpinas plantat, ut colligat uvas, Gehennæ ſerit, ut Cœlum metat. Rom.*3.8.

A. *Ad mendacium perge* Officioſum.

B. Hoc omnium maximè *coloratum*, in certis præcipuè caſibus; cum vero non ſit mentiendum (*a*) *propter Deum*, multo minus ut gratificemur creaturæ, neque (quod modò allegavimus) *faciendum eſt malum ut inde conſequatur bonum*, ab eo cavendum prorſus Homini Chriſtiano cenſemus. (*a*) *Job.* 13.7.

A. *Solent vero* (*a*) *Obſtetricum Ægyptiacarum*, (*b*) *Rachabæ*, & (*c*) *Abrahami exempla in mendacii officioſi tutamen urgeri.* (*a*) *Exod.* 1.20.21. (*b*) (*b*) *Joſ.*6.21. (*c*) *Gen.*12.13. & *c.*20.2.

B. *Ex-*

B. Exempla non probant, nisi ad imitandum divinitùs proposita. Remuneratus est Deus obstetricum & Rachab (*a*) sui *timorem* ac (*b*) *fidem*, condonavit *mendacium*. Abrahamus autem omnino non mentitus est, etsi carnis infirmitati succubuisse (*c*) constat, unde & (*d*) Adulterii periculo uxorem exposuit. [*a*] *Exod.* 1. 21. [*b*] *Heb.* 11. 31. [*c*] *Gen.* 12. 12, [*d*] *v.* 19.

A. *Annon pro mendaciis habendæ sunt* Æquivocationes ?

B. Non *Logicæ*, ceu *verbales*, (quarum haud sterilis est ipse Ager Domini, sacram intelligo (*a*) Scrip.) at vero *mentalium* alia plane est ratio, quæ cum à *mangonibus Jesuitis* primum adornatæ (si non excogitatæ) fuerint, *Jesuiticæ* vulgo appellantur. (*a*) *Mat.* 9. 24. *Jo.* 2, 19. *& c.* 11. 11.

A. *Quas dicis Æquivocationes* Jesuiticas ?

B. Quæ *parte* tantum sensus ore prolata, mente premunt alteram, prolatæ *destructoriam*.

A. *Da exemplum.*

B. Quærenti Judici, *Esne Jesuita*, aut Sacerdos, quem vocamus, *Seminalis* ? is autem etsi talis revera fuerit, *intrepidè* negaret, tacitè secum intelligendo in hunc modum, *non ita, ut hoc tibi patefaciam*, vel *ut mille tibi Aureos donarem*, aut aliquod simile. vid. *Mason.* de Æquivoc. c. 3.

A. *An vero fieri posse, ut* Christianitatem *professi, quique sibi* Columnæ *videntur, & quibus destituta concideret omnis Religio pariter ac Ratio,*

talia

talia nobis propinent Errorum portenta, *quibuſcum neque* Religio *prorſus ulla, neq;* Societas *Humana conſtare poterit?* Abſit credere quæ videmus.

B. Excipiunt quidem (*verbo tenus*) *negocia Fidei & contractuum* civilium: verum hic *non diſcedunt ab Arte ſua*, (*a*) æquivocè ſemper agentes. In utriſq; quis Fidem habiturus eſt eis, quorum in reliquis ita ſe *veſtigia terrent?* (*a*) *v. Maſon ubi ſupr.*

A. *Nunc tandem mirari deſino prodigium iſtud doctrinale*, Fidem non eſſe Hæreticis ſervandam, i. e. *nullis, qui Romanæ Communionis non audiunt.*

B. Illud tamen à Sancti Concilii Oecumenici (*a*) *Conſtantienſis* Patribus (quanquam *in omnibus non probantur*) in caſu celeberrimo *Joh. Huſs*, & *Hier. Pragenſis* ſtrenuè definitum conſtat; cujus equidem dogmatis & Decreti Conciliaris huc redit *Chriſtiana* admodum ſententia, *Pontificiis licere tum Homines ludos facere, tum Deum.* (*a*) *Seſſ.* 19.

A. *Quid vero circa Criminationes & probra in Proximi nomen jacta ſpeciatim obſervandum?*

B. Ea ſunt vel de Criminibus *malignè confictis*, vel *temerè ſuſpectis*, vel *certò cognitis.*

A. *Quid ſi malignè ab ipſo Criminatore confictis? ut Jer.* 18.18. *Pſal.* 35.11. *Dan.* 6.4,5.

B. Diabolicum prorſus ingenium prodere, præcipuè ſi in viros (*a*) *dignitate* aut (*b*) *virtute* præ-

præſtantes. (*a*) *Zech.* 3. 2. 2 *Pet.* 2. 10. [*b*] *Pro.* 17. 15.

Quos, *Primò*, theſauro ſpoliant longe precioſiſſimo, bona nimirum fama. Eccleſ. 7. 1.

Secundò, Authoritatem & Religionem per ejuſmodi latera conviciis proſcindunt. *Pſal.* 69. *à v.* 7. ad 13.

Tertiò, Conviciis affectos, quantum in ſe eſt, Eccleſiæ Reipublicæque inutiles reddunt, qui fortaſſe nil prius habent quam ut de utraque præclarè mereantur. *Dan.* 6. ubi ſup. 3 *Joh.* 9. 10.

A. *Quid ſi leviter tantum ſuſpecta ſint crimina quæ* rumuſculis *ultro citróque agitantur?*

B. *Primò*, Neminem decet adverſus quempiam (maxime honeſti nominis) temere accuſationem (*a*) admittere, nedum (*b*) diſſeminare: imo hoc fieri libenter, ex pravo ſaltem animi conſilio, non poteſt (*c*) citra æternæ Salutis diſcrimen. [*a*] 1 *Tim.* 5. 12. [*b*] *Prov.* 10. 18. *Jer.* 9. 4. [*c*] *Pſal.* 15. 1. 3.

Secundò, Militat iſta σπερμολογίας prurigo adverſus *aureum* illud legis & Prophetarum, Euangelii, imò & luminis naturalis oraculum, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Tertiò, Hominem non decet [*a*] cordatum *ulla* in *re* levibus duci *ſuſpicionibus*, nedum in eâ quæ Proximi ſui tantum interſit. [*a*] *Prov.* 14. 15.

A. *Quid*

A. *Quid demum ſi probri materia (Crimen) certò perſpectum fuerit?*

B. Diſtinguendum de Perſonis & de Crimine. Perſonæ ſunt vel *publicæ*, vel *privatæ*. Crimen vel quod Eccleſiæ & Reip. detegendum omnino refert, vel non. Si notum ſit perſonæ publicæ (magiſtratui) ſítque Criminoſus intra ſuæ *cognitionis* fines, non agit contra charitatem, ſi pœnâ prudenter impoſitâ [*a*] manifeſtum faciat. Si perſonæ tantum privatæ innotuerit, neque tanti ſit momenti ut in Conſcientiâ foras eliminare teneatur, [*b*] privatim monuiſſe ſufficiat, ídque [*c*] *in ſpiritu manſuetudinis, conſiderans ſeipſum ne & ipſe tentetur.* [*a*] *Sam.* 3. 13. 1 *Tim.* 5. 20. [*b*] *Mat.* 18. 15. [*c*] *Gal.* 6. 1.

CAP.

CAP. XXI.

De Præcepto ultimo.

A. QVid *in Præcepto ultimo vetitum continetur?*
B. In diverſa hic abeunt Theologi. Quin

Primò, Non eſt dubitandum in hoc Præcepto aliquid prohiberi, quod in nullo propriè reliquorum; aliàs non conſtaret *Decalogus*, ſive *decem verba*: quippe *decem* non erunt, ſi alterum ab altero non *ſpecificè* diſtinguitur, proinde neceſſe eſt ei objectum *ſpeciale*, uti cæteris, aſſignari.

Secundò, Itaque duo hic prohiberi videntur: primùm ſcilicet, *inordinati* quicunque motus, etiam *ſine conſenſione* actuali voluntatis, (quos *primos*, & *primò primos* in Scholis vocant,) qui cum legi Divinæ conformes non ſunt, aut hic aut nullibi interdictos habemus.

A. *At cenſes quoque pravitatem illam* originalem (*peccatorum omnium actualium* fomitem *perpetuum*) ſpecialiter *hic prohibitam includi?*

B. Ita, (quanquam propriè & primariò vetantur *Actus*, pronitas autem radicalis ad malum ab Actu illo *primo* proveniens, duntaxat *ex conſequenti*) nam ad illam reſpiciens Apoſtolus *Concupiſcentiæ* nomine deſignat, citatis hujus præcepti verbis, *Non Concupiſces.*

A. *Sed*

A. *Sed vetantur* futura, *&* libera, *non* præsentia, præterita, *aut quoad statum* naturalia. *Peccatum vero originale omnibus* præsens, *& ex lapsu primo* ingenitum *adhæret.*

B. Imo lex moralis in Decalogo comprehensa non ad Hominem in certo *statu* (puræ peccati) sed potius ad Hominem *simpliciter* pertinet, & consequenter in statu *integro* æque ac *lapso*, quo Concupiscentia ista caruit & carere potuit, haud secus atque ex quo *hæret lateri lethalis arundo.* Deinde, concupiscentia non ad hanc magis quam ad illam Temporis differentiam restringitur.

A. *Quodnam est alterum illud in præcepto vetitum?*

B. Sortis suæ displicentia, cui ex adverso includitur præceptum positivum, ut suâ sit quisque portione *contentus.* Phil. 4. 11.

A. *Verum hoc alibi præscriptum videtur, ut in præcepto Octavo.*

B. Non tamen ut hìc, *generaliter*, sed respectu possessionis alienæ, & *quâ talis*; fieri enim poterit, ut etiamsi totum quis orbem possideret, sicque nulla supereſſet in Terris quam concupiscere *res aliena*, Sorti suæ minimè acquiescat. Eccles. 1. 8. & 4. 8.

A. *Potéstne* Viator *aliquis implere legem?*

B. Sensu propriè *Legali* non potest, sic enim peccati immunis esset (quod *eis patriam* (*a*) non

est

est expectandum) Sensu *Euangelico* (i. e. quoad omnes etsi non *gradus*, [b] *partes* tamen animique [c] *synceritatem* habitualem) non potest modò ([d] Gratia adjutus divina) verum etiam sub Animæ periculo legem [e] adimplere tenetur. [a] *Jac.* 3. 2. 1 *Joh.* 1. 8. [b] *Luc.* 1. 6. *Psal.* 119. 6. [c] *Job.* 2. 3. 2 *Cor.* 1. 12. [d] *Joh.* 15. 5. [e] *Jac.* 2. 8.

A. *Sed execrabilis est quisquis non manserit in omnibus quæ legis sunt, ut ea faciat.* Gal. 3. 10.

B. Quin *Factus est pro nobis Execratio*, qui est *Benedictus in secula.* Gal. 3. 13.

I CAP.

CAP. XXII.

De Ecclesiâ.

A. *Quid significat vox* Ecclesiæ *sensu Theologico, & maximè usitato?*

B. *In genere* cœtum Christianum, sive in Christum [*a*] credentium, per [*b*] verbi præconium (ordinariò) & [*c*] Spiritum Dei, è reliqua mundi colluvie [*d*] evocatum. (*a*) *Act.* 2. 44. & 5. 19. 2. (*b*) *Ro.* 10.14. (*c*) *Is.* 59. 21. (*d*) *Ro.* 1.7.

A. *Quotuplex est Ecclesia?*

B. Distingui solet,

Primò, *In* (*a*) *militantem* (in Terris) & (*b*) *triumphantem* (in cœlis.) (*a*) 2 *Cor.* 10.3, 4. (*b*) *Apoc.* 7.9. &

Secundò, In *Visibilem* & *Invisibilem.*

A. *Unde autem oritur ista Ecclesiæ distinctio posterior?*

B. Ex varia membrorum unde componitur conditione, tum internâ, tum externâ.

A. *Quî vero ex internâ?*

B. Nempe *visibilis* conflatur ex fidelibus, qui tales [*a*] habentur, sive *judicio charitatis*, sive *veritatis*: *invisibilis* ex iis tantum qui fideles *revera* [*b*] sunt, quorum scilicet interna indoles, etsi Deo καρδιογνώστῃ notissima, aciem tamen [*c*] humani intellectus (nisi divinitus revelata) fugit. [*a*] 1 *Cor.* 1. 2. *Act.* 8. 13. *Apoc.* 3.2.

3. 2. [b] *Ro.* 2. 29. *Eph.* 5. 25. [c] *Act.* 9. 13, 15. *Mat.* 23, 28.

A. *Dic quomodo ab externa Ecclesiæ conditione noscitur discrimen.*

B. Nimirum Visibilis dicitur Ecclesia, quæ ob multitudinem aperte profitentium veritatem, non sibi tantum ipsi, sed & hostibus Euangelii est [a] conspicua : Invisibilis, quæ ob membrorum sive paucitatem, sive dispersionem (ex persecutione ortam) in angulis [b] obscura, nisi sibimet ipsi, delitescit. [a] *Rom.* 1. 8. *Is.* 11. 9. [b] *Mar.* 14. 50. *Apoc.* 12. 6.

A. *Quod si Ecclesia sit unquam hoc nomine invisibilis, quomodo dicitur* Lux mundi ? Mat. 5.

B. 1. Non ex splendore semper externo, quippe quæ suas, ut Luna, *Phases*, imò & *Eclipses* habet; sed ex munere potissimum & officio, quod est in tenebris sedentes (tum verbi præconio, tum vitæ exemplo) illustrare luce Euangelii.

2. Quoniam *in se* semper lumine cœlesti perfusa, potest tamen (ut Sol ipse) aut *cæcis*, aut videre *nolentibus*, aut (*persecutionis* & errorum) opaco interposito collocatis [a] minimè apparere, iis interim [b] *qui filii sunt lucis* utcunque radiosa. [a] *Apoc.* 8. 12. & *c.* 9. 2. [b] *Mat.* 11. 19.

A. *At quomodo cum promissione Christi hoc convenit, ubi dicit, quod* portæ Inferorum ad-

 versus

versus Ecclesiam minimè prævalebunt? Mat. 16. 18.

B. Intelligendus est de Ecclesia *Universali & Invisibili*; nam de *particularibus & visibilibus* experientia reclamat; ut (si alia deessent testimonia) exemplo sunt Ecclesia Judaica, & 7 illæ Apocalypticæ, c. 2, & 3. utinámque non Romana.

A. An ergo non potest Ecclesia militans in terris penitus deficere?

B. Non potest; pugnat hoc enim cum *promissionibus* divinis, qualis ea modo memorata, *Mat. 16. Mat. 28. 20.* Hinc seculis etiam corruptissimis, & maxime Apostaticis, ubi prorsus interiisse videretur Ecclesia, suas sibi fidelium *reliquias* in tuto condidisse Regem Ecclesiæ omnes docent historiæ, quemadmodum *1 Reg. 19. 14, 18.*

A. Ast ubi gentium fuit Ecclesia per tot annorum Centurias ante Reformantem Lutherum?

B. In mediis Ecclesiæ hostibus *captiva*, oppressa fœdè, variisque maculis deformata, sicut tempore *Achabi* Israelitica, vel ut arca Dei inter Philisthæos ad tempus triumphata.

A. Qualis vero erat ista Ecclesia, quæ nullibi comparuit, *quæ* nullos sibi proprios habuit pastores, Regimen Ecclesiasticum, *&* disciplinam nullam, *quæ denique cum* cœtibus (*quos ipsa vocat*) Idololatricis *communionem ordinariam exercere*

erecere ſuſtinuit ? Ad iſta velim ut ſigillatim re-ſpondeas.

B. Ad *primum* quæſiti caput, oſtenſum eſt ſuprà, minimè neceſſarium eſſe ut Eccleſia ſemper compareat, niſi ſuis ipſius membris : ac

Secundò, *Ex abundanti* dicimus, ſub ipſa Papatus tyrannide comparuiſſe ſæpius gregem Chriſti, etſi obſcuriorem paulò & minus frequentem, (nec erubeſcendum eſt Eccleſiæ, ſi quando *grex puſillus* audiat, *Luc.* 12. 32.) Imo nullo defuere ſeculo qui veritatem Chriſti, idque in graviſſimis fidei capitibus, contra ſacrilegas novitates Papicolarum, quà *dictis*, quà *factis*, quà denique proprio *ſanguine* vindicabant. Hìc Judicem appellamus Hiſtoriam Eccleſiæ.

A. Quid autem de defectu Paſtorum ſibi peculiarium, Diſciplinæ, & regiminis Eccleſiaſtici, ſentiendum ?

B. Nimirum (ut alia præteream) quod paſtores illi Pontificii (quales quales) ſufficerent *ad tempus* inſerviendis Eccleſiæ commodis *ſimpliciter* neceſſariis, ut Scribæ & Phariſæi Eccleſiæ Judaicæ, quibus ex præcepto Chriſti pro tempore auſcultandum erat.

A. Quid porro de iſto Diſciplinæ defectu ſtatuendum ?

B. Diſciplinam ſcilicet (omnibus quaſi numeris abſolutam) ubi haberi poteſt ad Eccleſiæ

ædificationem apprimè facere, [a] *essentiam* minime constituere. [a] vid 1 *Cor.* c. 5. &c. 11. collat. cum 1 *Cor.* 1. *v.* 2.

A. *Quid demum ad communionem istam cum cœtibus Idololatricis dicendum? potuitne ullo nomine Ecclesiæ titulum mereri, quæ se istis admiscuit?*

B. Hoc fidelium tunc temporis *infirmitatem* & *infortunium* arguit, non prohibet quo minus [a] Ecclesiæ Universalis membra censerentur; præcipuè cum duram sub papatu servirent servitutem, nec plena Euangelii luce, ut postmodum, essent imbuti. [a] *Apoc.* 2. 13.

A. *Quæ sunt notæ veræ Ecclesiæ?*

B. *Invisibilis* eædem quæ verè fidelium, [a] vita scilicet & virtutes verè Christianæ; *visibilis*, sana in *fundamentalibus* [b] professio & prædicatio fidei, cum debita (quoad *substantiam*) administratione Sacramentorum. [a] 1 *Jo.* 2. 29. [b] 1 *Jo.* 4. 13, 14. *Mat.* 28. 19, 20.

A. *Nonne hæc inter notas Ecclesiæ censeri debet, quod unum in terris* caput visibile *agnoscat, illudq; Pontificem Romanum?*

B. Nequaquam: quia nullum tale caput nobis commendat Scriptura, nedum Pont. *Romanum*: & in talibus argumentum ex verbo Dei *negativum* valet.

A. *Quo potissimum fundamento nititur adversa Romanensium sententia?*

B. Eo nimirum, quod S. Petrus tali gaude-

bat

bat præ cæteris Apostolis privilegio, quod Romæ sedit Episcopus, ibique Coronam tulit martyrii; demum, quod ei successor sit Pont. Rom.

A. *Unde autem colligunt Petro indultum (præ reliquis) Episcopatum istum* Oecumenicum, *sive potestatem in omnia Ecclesiæ militantis membra supereminentem?*

B. Quod nimirum ei *nominatim* Christus tradidit *claves* Regni cœlorum, atque adeo promisit super *petra* (quam illi Petrum ipsum interpretantur) se ædificaturum Ecclesiam suam. *Mat.* 16. 18, 19.

A. *Quid ad ista respondendum?*

B. Primò, Claves non uni Petro, sed omnibus Apostolis ex æquo concreditas, ut liquidò constat ex *Mat.* 18. 18. & *Joh.* 20. 23.

A. *Cur igitur eo loci Petrum duntaxat allocutus est Christus?*

B. Quoniam is [*a*] nomine reliquorum præclaram illam de Christo confessionem edidit, utque ad illius nomen (responso ad [*b*] *singulos* æqualiter pertinente) alluderet. [*a*] *Mat.* 16. 20. [*b*] *collat. cum* v. 15.

A. *At* primus *dicitur Petrus*, Mat. 10.

B. Inde *ordinis* fortasse colligatur primitas, nulla *jurisdictionis*. Primus appellatus est Petrus, quod primus omnium vocaretur à Christo; ad *Apostolatum* scilicet, etsi Andreas

prior ad *Discipulatum*: confer *Mat.* 4. cum *Joh.* 1.

A. *Estne aliud aliquod ex Scriptura petendum quod S. Petri in reliquos Apostolos jurisdictioni suffragetur?*

B. Omnino nihil; imò nonnulla potiùs *in speciem* contraria; qualia sunt quod eum ex infirmitate carnis (statim à concesso omnibus privilegio) labentem [a] *Satanam* appellaret Christus, eique in faciem obsisteret [b] S. Paulus, quibus nihil simile cæteris Apostolis factum legimus. [a] *Mat.* 16. 23. (b) *Gal.* 2, 11. Adde quod Paulus asserit se nihilo inferiorem fuisse reliquis Apostolis, & consequenter non Petro. 2 *Cor.* 11. 5. Nec ulla demum talis jurisdictionis umbra ex Scripturis ostendi potest.

A. *Quid vero quod Ecclesiam* super Petro *ædificandam promisit Christus?*

B. Non dixit super *Petro*, sed *super hac Petra*; ea nimirum *fide*, quam suo & reliquorum Apostolorum nomine professus est Petrus.

A. *Quid si demum super ipsum* Petrum?

B. Incommodi nihil sequetur, modò

Primò, Fundamentum statuatur Petrus non *personale* (quod (a) solus est Christus) sed *doctrinale*; nec

Secundò, Doctrinale *primarium*, sed [b] *secundarium*, ipsi scilicet Christo Prophetæ magno

no & ſuper ædificantem & ædificatum ; nec *Tertiò*, Vel hoc ſenſu *ſuper Petro* magis, quam ſuper [c] reliqua Prophetarum & Apoſtolorum Coronâ. [a] 1 *Cor.* 3. 11. [b] *Mat.* 28. 20. *Act.* 3. 23. [c] *Eph.* 2. 20.

A. *Sed quid demum Romano Pontifici in hoc negotio cum S. Petro?*

B. Non magis quàm cum Philippo aut Bartholomæo : nam poteſtatem iſtam *Apoſtolicam*, (quoad eam quam ille ſibi arrogat *latitudinem juriſdictionis Oecumenicam*) expiraſſe cum ipſis Apoſtolis (non ſecus ac dona miraculorum,) palam eſt ex hiſtoria Eccleſiæ, quæ per multas annorum à Chriſto Centurias tale nihil meminit, nedum agnovit.

A. *Quomodo igitur toto eo tempore regebatur Eccleſia?*

B. In ſuis cujuſque Paroeciis (ſive Diœceſibus) Epiſcopi *independentem* ab alio quovis Epiſcopo juriſdictionem exercebant.

A. *Quod ſi Petrus Romæ ſedem habuit Epiſcopalem, (idque per multos, uti ferunt, annos) nonne ſequetur ſucceſſoribus ejus æqualem deberi poteſtatem?*

B. *Primò*, Non illis magis (data hypotheſi) deberetur, quam reliquorum Apoſtolorum ſucceſſoribus, & hinc nihil Pont. accreſcit Romano.

Secundò, Non Romæ magis quam Antiochiæ, aliiſque

aliisque locis, ubi Petrus aliquandiu hæsit Episcopus, deberetur.

Tertiò, *Loci* successio *per se* nil facit ad successionem *potestatis* ex jure divino.

Quartò, Nec si vel maximè faceret, successionem suam per tot *Schismatum* gravissimorum, Pontificúmque aut *indebitè* electorum, aut postea *hæreseos* manifestorum dævia (ab ipsis Pontificiis abunde nobis indigitata) illæsam queant & incolumem ad S. Petri Cathedram perducere.

Quintò, Etsi constat de Paulo, meritò hactenus dubitatum est de S. Petri tali saltem Romæ residentiâ qualem illi volenti nolenti obtrudunt Pontificii. Certè de illâ silet omnis Historia sacra, nec quod sciam Textus eò ullus urgetur, nisi qui Babylonem Romam facit (& per me Esto) 1 *Pet.* 5. 13.

A. *Multæ tamen Ecclesiæ* Romanæ *præ reliquis honestarunt sedem.*

B. Honore quidem *reverentiæ* ut Sororem, non *obsequii*, ut Dominam: hoc enim fecere salvis primò suis sibi juribus; &

Secundò, Ob hanc præcipuè rationem, quod esset Roma *sedes Imperii*, sicut ex antiquis Canonibus manifestum est.

A. *Verum suas sibi res habente Romano Pont. nunquid alienum est à mente Christi, ut Presbyteris reliquis in unaquaque Diœcesi unus superemineat & præsit* Episcopus? *B.* Ne-

B. Nequaquam; nam *Primò*, in ipsis Apostolorum temporibus talis reperitur Episcopatus, ut in Epist. ad Tim. & Tit. & in Angelis istis 7 Eccles. Apocalypticis, ad quos ut *Aatistites*, per S. Joh. literas dat ipse Christus monitorias.

Et *Secundò*, à dicta Apostolorum ætate ad avorum usq; nostrorum tempora, nulla unquam in Terris audita est sine *Episcopo* Ecclesia Christiana, ni omnes frustra nos habeant historiæ.

A. *Sed à facto ad jus non valet argumentum.*

B. Imo hoc in casu plurimùm; nam indigna est vigilantissima Christi super Ecclesia sua solicitudine cogitatio, ut eam ab illius usque incunabulis ad canitiem fere sineret tali politia uti, quam ipse minus probaret.

A. *Quam statuis Ecclesiasticæ potestatis in sibi subditos materiam?*

B. Ea duplex est, aut scilicet res in se *adiaphora*, aut in lege Dei comprehensa.

A. *An circà utramque modo consimili occupatur?*

B. Nequaquam; habet enim Ecclesia potestatem in materiâ adiaphora νομοθετικὴν (sive leges condendi) Christo subordinatam, ad (*a*) ædificationem gregis Dominici. [*a*] 1 *Cor.* 14. 26.

A. *Id unde constat?*

B. Partim ex verbo Dei, partim ex usitatissima veterum Ecclesiarum praxi, simulac à persecutionum æstu satis respiraverant. 1 *Cor.* 14.40. 1 *Cor.* 11.2. & 16.1.

A. *In*

A. *In rebus lege morali divina aut jam præceptis aut prohibitis, quomodo ista exercetur Ecclesiæ potestas?*

B. Non ut quicquam (*a*) *immutet*, sed ut omnia suis quoque sanctionibus (*b*) *corroboret*: alioqui *parendum est Deo magis quam hominibus*, *Act.* 4. 18, 19. (*a*) *Deut.* 4. 2. *Gal.* 1. 8. 9. 11. (*b*) 1 *Cor.* 5. ad *v.* 6. *Judæ* 22, 23.

A. *In controversiis fidei quænam sunt partes Ecclesiæ?*

B. Se Fidei (*a*) *Testem*, (*b*) *Custodem*, (*c*) *Interpretem* (idque non nisi secundum (*d*) *Analogiam fidei*) præstare, (*e*) seductos in viam placidè *revocare*, in (*f*) seductores & præfractos gravius animadvertere. (*a*) *Act.* 1. 8. 1 *Tim.* 3. 15. (*b*) *Judæ* 3. 1 *Tim.* 1. 11. (*c*) *Job.* 33. 23. *Act.* 15. ad *v.* 30. (*d*) *Rom.* 12. 6. vid. Eccles. Angl. *Art.* 20. (*e*) 2 *Tim.* 2. 24, 25. (*f*) *Tit.* 1. 10, 11, 13.

A. *Estne vero Ecclesia Interpres* infallibilis?

B. Reverenter (*a*) auscultandum est Ecclesiæ, imo & in illius sententiâ (ubi nil verbo Dei adversum statuitur) eo usque humiliter acquiescendum, ut ne illius voci palam contra obstrepamus, nec paci quoquo modo aut damnum aut molestiam inferre velimus. Arg. à minori vid. (*a*) *Mat.* 23. 3. & Eccles. Angl. *Art.* 21.

A. *Sed nisi tum Interpres, tum Judex in Terris detur infallibilis, quis erit in Ecclesia finis controversiarum?*

B. Resp. *Primò*, Non expectandum esse finem

nem omnium circa religionem controverſiarum, dum Eccleſia verſatur *in via*; præmonentibus in contrarium & (*a*) Chriſto & (*b*) Apoſt. ſuffragante itidem univerſa Eccleſiæ hiſtoriâ. (*a*) *Mat.* 18.7. (*b*) 1 *Cor.*11.19.

Secundò, Ad nullum talem Judicem in rebus fidei relegavit Chriſtianos aut S. Scr. aut Eccleſia Primitiva, in qua tamen ſubinde gliſcebant ſchiſmata & diſcordiæ.

Tertiò, Sine Judice hoc in Terris *infallibili* Eccleſiam & conſiſtere poſſe & vigere, teſtem appellamus *experientiam*, cum per annos à Chriſto incarnato 300. & amplius, *nulla* eſſet in Concilio generali Eccleſia *repræſentativa*, nedum Eccleſia *virtualis* (ut vocant) habitus eſt Pont. Romanus; tota autem credentium *multitudo* ſententiam latura in unum aliquem locum convenire non potuit.

Quartò, Nec qui Judicem hunc falſò venditant Pontificii, aut *quis* ſit, inter ſe unquam convenerunt, aut quemcunque demum ſtatuant, objecti nobis mali remedium inveniunt.

A. *Quorſum itaq; indies audiuntur Paſtores Eccleſiæ, ſi non ſint infallibiles?*

B. Non id à bono Paſtore requiritur, ut *non poſſit*, ſed ut (*a*) *nolit* fallere: tenentur autem populi eos reverenter (*b*) audire, ut ad examen vocatis quæ Chriſti nomine dicunt omnibus, *quod bonum eſt amplectantur & retineant.* (*a*) 2 *Cor.*4.2. (*b*) *Mal.*2.7. *Act.*17.11. 1 *Theſ.*5.21.

CAP.

CAP. XXIII.

De Sacramentis.

A. *Quid proprie est Sacramentum novi Fœderis?*

B. Est (*a*) *signum* & *sigillum* externum Justitiæ quæ est per fidem, (*b*) *divinitus* institutum. (*a*) *Rom.* 4. 11. *Exod.* 12. 13. *Col.* 2. 12. 1 *Cor.* 10. 16. (*b*) *Mat.* 28. 20. 1 *Cor.* 11. 23.

A. *Quotuplicia sunt ejusmodi Sacramenta?*

B. Duplicia; alia sub lege, sive Judaica, *Circumcisio* nimirum, & *Agnus Paschalis*; alia sub Euangelio, sive Christiana, *Baptismus*, & *Cœna Domini*. De prioribus vid. *Gen.* 17. & *Exod.* 12.

A. *Utriusq; generis Sacramenta quomodo distinguuntur?*

B. Est alterum scilicet *initians*, idque tam Infantium quam Adultorum, Circumcisio & Baptismus: alterum *continuans* & *confirmans*, idque tantum Adultorum, *Agnus Pasch.* & *Cœna Domini*.

A. *Unde liquet Circumcisionem & Baptismum fuisse Sacramenta* initiatoria?

B. Ex eo, quod in Ecclesiam Judaicam (*a*) mas omnis per circumcisionem *solenniter* admitteretur; in Christianam, (sive mas, sive fœmina) excipitur nemo nisi per (*b*) Baptismum. Proin utrumvis *semel* duntaxat adhibitum legimus,

mus, non autem, ut Sacramenta Confirmantia, ſæpius repetendum. (*a*) *Gen.* 17. 10, 12. (*b*) *Mat.* 28. 19.

A. *Quid de aliis* 5 *Sacramentis Pontificiis cenſendum?*

B. Eorum nulla eſſe *proprie* Sacramenta, hoc eſt ſenſu quo Baptiſmus & Cœna Domini in confeſſo ſunt habenda.

A. *Oſtende diſcrimen.*

B. Omnium generale idque palmarium hoc eſt, quod nullibi pro Sacramentis à Chriſto (ad quem unum utriſque conſentientibus id negotii pertinet) inſtituta legimus; at de Baptiſmo, & Cœna Domini, lis nulla movetur.

A. *Quid ad iſta in ſpecie dicendum, & 1. de* Ordine, *ceu Ordinatione Miniſtrorum Euangelii?*

B. Non eſſe Sacramentum ſenſu quo diximus.

Primò, Quod nullam (ſicut Baptiſmus, & Cœna Domini, Circumciſio & Agn. Paſc.) *externam* habeat & aſpectabilem materiam;

Secundò, quod ad certum hominum genus reſtringatur; non autem (ut iſta) ad omnes ex æquo Chriſtianos pertineat. 1 *Cor.* 12. 17.

A. *Quid habes de* Pœnitentia, *ceu* Abſolutione *lapſorum pœnitentium?*

B. Eam quidem inſtitutionem eſſe divinam, non vero ſacramentum Euangelicum: quoniam

Primò,

Primò, Eccleſiæ *Judaicæ* non minus quam *Chriſtianæ* convenit (quo nihil notius eruditis.)

Secundò, Quia nullum hic reperitur *elementum externum divinitus inſtitutum*; nam de impoſitione manuum ſuper lapſos nihil præcepit Chriſtus; nec *contritio*, *confeſſio*, *ſatisfactio*, Elementis annumerari debeant.

A. *Quid autem de* Confirmatione *ſtatuendum?*

B. Eum ritum eſſe antiquum, pium, & laudabilem, quo Epiſcopus, vel ejus ſuffraganeus Epiſcopus Baptizatis (*fidei ſuæ rationem* ſufficientem in publico priùs exhibentibus) manum imponit, & ſolennem benedictionem impertit; verùm pro Sacramento nullibi à Chriſto Eccleſiæ commendatum: & huic quoque deeſt *elementum ſenſibile*; nam de *oleo* Pontificio, reliquiſque ceremoniolis hic adhibitis, altum eſt in S. Scr. ſilentium.

A. *Succedat* Unctio Extrema.

B. Hæc ſignum erat *temporarium* (quamdiu ſcilicet in Eccleſia vigebant miracula) idque non *gratiæ* ſpiritualis, ſed *ſanitatis* corporalis, *Mar.6.13.*

A. *An remiſſio peccatorum eo ſignificari videtur*, Ja. 5. 15.

B. Imo hoc impetrat *oratio fidei*, uti conſtat ex loco.

A. *Nec denique* Matrimonium *vis eſſe Sacramentum?*

B. Ne-

B. Neque istud;

Primò, Quia ad Vetus Test. perinde pertinebat ac Novum, ad statum hominis *integrum* æque ac *lapsum*, ad *Infideles* & Paganos, non secus ac ad *Christianos*.

Secundò, Mirum erit Sacramentum, cujus illi ad unum *omnes* (& *quatenus ipsi*) quorum peculiare munus est administrare Sacramenta, sunt incapaces, quod tamen asserunt Adversarii.

De Baptiſmo.

A. *QVid eſt Baptiſmus?*

B. Eſt Sacramentum initiale, quo *fœderati*, nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti invocato, ſecundum Chriſti inſtitutionem, aquâ abluuntur. *Mat.* 28. 19.

A. *Quo fine inſtitutus?*

B. Primò, ut *teſſera* Chriſti, qua gregem ſuum à reliquo mundo ſecernit. *Act.* 8. 37.

Secundò, ut ſignum & ſigillum *remiſſionis* peccatorum per *unum* Chriſtum impetratæ. *Act.* 2. 38.

Tertiò, ut ſignum quoque *regenerationis* ſpiritualis, & obligatio ad novam vitam, ſeu verè Chriſtianam. *Rom.* 6. 3. ad *v.* 7.

A. *Cujus eſt Baptiſmum adminiſtrare?*

B. Ejus, cujus eſt verbum prædicare. *Mat.* 28. 19.

A. *Num fœderatorum numero qui baptizandi ſunt, horum quoque includuntur* Infantes?

B. Omnino; ſunt enim & ipſi (*a*) fœderati, quibus proinde ſignum fœderis denegari non poteſt. (*a*) *Gen.* 17. 7. cum *Act.* 2. 39. *Deut.* 29. 10, 11, 12. 1 *Cor.* 7. 14.

A. *Quî poſſunt eſſe fœderati, qui quid ſit eſſe fœderatos ignorant?*

B. Poſſunt (ut in legitimis fœderibus & con-

contractibus humanis) *per alios*, etsi non *per se*.

A. *Sed in tota Euangelii historia nullum reperitur exemplum, lex nulla de Baptismo parvulorum.*

B. Exempla videntur esse, *Act.16.15.& 33. 1 Cor. 1. 16.* De exemplis tamen non est anxiè laborandum, cum argumentum inde *negativum* nihil probat, præcipuè nisi singularis aliqua id poscat circumstantia.

A. *Quidni hic poscret circumstantia mutati elementi, sive signi Circumcisionis in Baptismum?*

B. Quoniam mutato signo idem & (a) immutabile manet fœdus, nec *novum* erat Infantes gaudere Sacramento initiali fœderis; proinde expressa illorum mentione opus non erat. (a) *Gen. 17. 7. Heb. 13. 20.*

A. *Cedò* legem *vel* præceptum *de Pædo-Baptismo.*

B. Sufficit præceptum generale istud, *Mat.28.* πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς.

A. *Verum ibi jubet Dominus ante* erudiendos *esse quam* Baptizandos.

B. Alii aliàs exponunt vocabulum μαθητεύσατε sed quicquid sit de ista voce, hinc tantum sequetur, prius instituendos esse *parentes* in Fide, quam illorum liberi baptizentur, quod nemo unquam negavit.

De Cœna Domini.

A. *Quid est Cœna Domini?*

B. Est novi Fœderis Sacramentum alterum Christianum, quo (*a*) *panis* & *vini* (precibus eò pertinentibus) (*b*) benedictorum usu spiritualis manducatio Christi *adultis* fidelibus obsignatur. (*a*) 1 *Cor.* 11. 23. ad 30. (*b*) 1 *Cor.* 11. 28.

A. *Ad quos vero hujus Sacramenti Administratio pertinet?*

B. Ab iisdem, ministris scilicet Euangelii, utrumque sacramentum administrari par est. Præterea, cum Cœna Dom. sit *cibus* & nutrimentum gregis Christi, meritò ad pastores ejus dispensatio pertinebit; adde suffragantem perpetuò Ecclesiæ universæ praxin.

A. *An nudum panem & vinum percipimus in Cœna Domini?*

B. Imo (*a*) corpus & sanguinem Christi, sed *spiritualiter* & per (*b*) fidem, non modo isto quo fingunt Pontificii, (*c*) *Capernaitico, crasso, carnali*, & per verè corpoream (quam vocant) *Transsubstantiationem*. (*a*) 1 *Cor.* 11. 24, 25. (*b*) *Joh.* 6. 40. collat. cum *v.* 35. & 54. (*c*) *Joh.* 6. 52. 59. 63.

A. *Quid habes vero quod contra portentum istud (tam Vocabuli, quam Rei) Transsubstantiationis objicias?*

B. Eam

B. Eam ſcilicet & Primitivæ Eccleſiæ ignotam, & pugnare cum *Scriptura*, cum *Ratione*, cum *Senſibus ad unum omnibus*.

A. Cur dicis pugnare cum Scriptura?

B. Quoniam Chriſtus ipſe quod bibit in Sacramento vocat (*a*) *fructum vitis*, & Sanctus Paulus quod editur, *ter* ſingulis *conjunctim* verſibus, *etiam peracta conſecratione*, (*b*) panem. (*a*) *Mat.* 26. 29. (*b*) 1 *Cor.* 11. 26, 27, 28.

A. Verum quod ibi percipitur, Corpus & Sanguis Domini *appellatur?*

B. Locutione ſcilicet *Metonymica* & *Sacramentali*, quâ ſignum pro ſignato *uſitatiſſimè* ponitur: ut *Gen.* 17. 10, 11. *Exod.* 12. 11. *Tit.* 3. 5.

A. Dic qui pugnat Tranſubſt. cum Ratione?

B. Quia ponit multa perabſurda, & ἀσύστατα qualia ſunt primò eundem (Chriſtum ſcilicet) comediſſe *ſeipſum*, accidentia nullum agnoſcere ſubjectum, πολυτοπίαν ejuſdem corporis eodem tempore, ita ut localiter diſtet à *ſeipſo*, ſimul & quieſcat & moveat (ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum) obviam fiat ſibi ipſi, & alia hujuſmodi portenta patiatur.

A. An omnibus quoque Senſibus adverſatur?

B. Sint ipſi teſtes; *panem* eſſe clamant *ſinguli*.

A. Sed credendum eſt, ratione & ſenſu etiam reclamantibus.

 B. Imò

B. Imò credere nec debet, *nec poteſt* quiſquam contra *Scripturæ*, *rationis*, omniúmque *ſenſuum* luculentiſſima conſtantiſſimáque ſuffragia.

A. Poteſt tamen quis credere quod non (*a*) *ſentit, aut cujus* (*b*) *rationem, ſepoſita teſtantis veracitate, non capit.* (*a*) *Joh.* 20.29. (*b*) *Rom.* 11.33.

B. Rectè; ſed (*a*) *contra* omnem ſenſum & rationem credere (quod hìc volunt Pontificii) non eſt *credere*, ſed (*b*) *inſanire.* (*a*) vid. *Iſa.* 44. à *v.* 12. ad 21. & *c.* 46. 8. (*b*) *Iſa.* 44. 19.

A. At poteſt *Deus efficere ut panis ſit ſenſu craſſiſſimo Corpus Chriſti.*

B. Poteſt quidem Deus (*a*) *quodcunque vult*, ſed quod non vult non facit; repugnat hæc contradictio *voluntati* divinæ, nec (*b*) *poteſt* aut ipſe mentiri, aut hominum mendacia præſtare vera. (*a*) *Pſal.* 135. 6. (*b*) *Heb.* 6. 18.

A. Quid de Conſubſtantiatione *Lutherana ſentiendum?*

B. Ea quidem in hoc convenit cum Tranſſubſtantiatione Pontificiâ, quod verba Chriſti [*Hoc eſt corpus meum*] utraque *primò*, ſeu ut verba ſonant, intelligat.

A. Ubi ſitum eſt diſcrimen?

B. Primò, Aſſerunt Lutherani panem & vinum quoad *ſubſtantiam* minimè mutari, licet *in*, *cum*, vel *ſub* iiſdem ſit verum corpus & ſanguis Chriſti.

Secundò

Secundò, Nec corpus Christi unà cum elementis esse statuunt unione propriè *locali*, sed *personali* & *hypostatica*, quatenus nimirum inseparabile est à λόγῳ sive persona Christi, in quo multò tolerabilior est transubst. Pontificiâ.

A. *Ad eam vero quid dicendum?*

B. Primò, Nullam esse talis commenti necessitatem; neque enim hìc *caro quicquam proficit* magis quam in sententia Pontif. *Joh. 6. 63.*

Secundò, Naturarum in Christo proprietates, *ubiquitatem* scilicet & *finitudinem localem*, confundere videtur, contra omnem sanam philosophiam.

Tertiò, Nec Corpus Christi in sacramento ponit *corporaliter* magis quam in quavis re alia; nam *ubique* (illorum sensu) unitum est naturæ omnipræsenti, videlicet Divinæ: sícque de pane communi non minus quàm Sacramentali verè diceretur, *hoc est corpus meum*. Id vero ipsi inficias ibunt.

A. *Quid censes de* calice *Sacramentali Laicis denegato?*

B. Id esse Sacrilegæ prorsus audaciæ decretum, *non obstante institutione Christi*, quin & *Primitivæ Ecclesiæ praxi*, à * Concilio Constantiensi, rotundè quidem & *terminis terminantibus* blasphemante, eructatum; unde Lutherus facetè Concilium Non-Obstansiense dixit.

* *Sess.* 13.

A. *Sed in ſolo pane (Corporis Dominici Symbolo) utrumque percipitur elementum*, viz. per concomitantiam.

B. Sic & ipſis *Sacerdotibus* ſub una ſpecie communicare ſufficeret, & ſic fruſtra ſub utraque ſpecie cœnam inſtituiſſet Chriſtus; quorum alterum contra *Miſſificantes* facit ſacerdotes, utrumque contra *inſtitutionem* & *præceptum* Chriſti: Sed omnes Non-obſtante ſolvet nodos.

A. *Quinam admittendi ſunt ad Cœnam Domini?*

B. Baptizati omnes adultiores, circa (*a*) fidem *ſic ſatis* (*b*) *informati*, extra Communionem Eccleſiæ *non* (*c*) *ejecti*, quíque *ſine dato ſcandalo* vitam inſtituunt. (*a*) *Heb.* 6. 1. (*b*) 1 *Cor.* 11. 29. (*c*) 1 *Cor.* 5. a *v.* 7. ad fin. *c.*

A. *Quid ſi contigerit, ut quibus iſtæ deſunt conditiones admittantur nonnulli, an ideo abſtinendum erit bonis & rite præparatis?*

B. Ad Rectores Eccleſiæ pertinet ejuſmodi Incommodis (quà fieri poteſt) occurrere: verum ut ob noxam *alienam*, *ſuo* ſe quis fraudaret privilegio, nimium ſapit rigorem, ſuíque neglectum.

A. *Quod ſi cum impiis (ad menſam ſcilicet ordinariam) non ſit (a) edendum, multo hoc minus ad menſam ſacram licitum videatur.* (*a*) 1 Cor. 5. 11.

B. Imò valde diſpar eſt ratio, quæ irritam facit

facit conſequentiam; quoniam menſæ Domini communicare quilibet Chriſtianus (a) *ex præcepto* tenetur, eíque hoc indultum à Chriſto conſtat in maximam animæ utilitatem, quorum neutrum Communioni ad menſas *ordinarias* quadrabit; proinde in tam diſſimili caſu fruſtra eſt qui eandem urget *non communicandi* libertatem. (a) 1 *Cor.* 11. 26. 28. collat. cum 1 *Cor.* 10. 16.

A. *De* Geſtu *in Sacramento Euchariſtiæ percipiendo quid cenſes?*

B. Arbitrio Eccleſiæ (utpote *rem mediam*) relinquendum.

A. *Sed Apoſtolos ad menſam cum Chriſto accumbentes percepiſſe liquet ex* Mat. 26. 26.

B. Id quamvis valde ſit *probabile*, tamen certò conſtare non poteſt: nam hoc tantùm inde liquidò evincitur, Dominum inſtituiſſe Cœnam ſuam, *priuſquam ex menſa cum reliquis ſurgeret.* Hoc verò multò evidentius eſt, Chriſtum de *Geſtu* præcepiſſe nihil; imò neq; S. Paulus, qui circa hoc ſacramentum ſe tradidiſſe aſſerit *quod accepit à Domino*, ullam omnino ejus mentionem inſinuavit; unde rem eſſe *adiaphoram* tutò concluditur, quia *ſine præcepto nullum obligat exemplum.*

A. *Non eſt igitur* Ingeniculatio, *dum ſacra Cœna celebratur, geſtus aut Idololatricus, aut ſuperſtitioſus?*

B. Pari

B. Pari quidem superstitione teneri videantur, qui gestum sacramentalem aut *absolutè necessarium* habent, aut *per se illicitum*; quippe qui sub præcepto divino non cadit; (ut ante diximus.) Nedum *idololatra* est, qui maximi Hominibus collati beneficii *tesseram*, *idque orans*, *sicut in Ecclesia Anglicana*, de genu accipit.

A. *In hoc aut alio quovis consimili casu, quid factu optimum videtur?*

B. Ecclesiæ judicio, & (*a*) receptis *Legibus*, & *Consuetudini* acquiescere, non autem *inutiles serendo* (*b*) lites, (*c*) concordiæ fraternæ vinculum dissecare. (*a*) 1 *Cor.* 11. 16. (*b*) 2 *Tim.* 2. 14. (*c*) *Eph.* 4. 2, 3.

A. *Ad vim Sacramentorum percipientibus derivandam, estne necessaria* Intentio Ministri?

B. Minimè; sic enim penderet beneficium Dei & fidelium consolatio ex infirmitate aut improbitate humana, eâque non suâ *percipientium*, sed alienâ, *malè administrantium*: quod perabsurdum est.

A. *In quo cernitur istius sententiæ absurditas?*

B. Scilicet indignum nil magis infinita tum bonitate, tum sapientia Christi, quàm Institutionum suarum vim appendere *intentionibus* ministrorum: sic enim fieri posset ut effectum

ctum ab eo designatum nunquam sortiantur. vid. 2 *Cor.* 4. 7.

A. *Nonne etiam hoc telo suam ipsorum causam maximè jugulant Pontificii ?*

B. Nihil verius : cum enim *v.g.* Baptismum volunt ex *intentione* ministri pendere, sequitur *Ministro non intendente* non Baptizari : qui autem Baptizatus non est, nullius ordinis Ecclesiastici capax censetur. Hinc, utrum quis sit Presbyter, Episcopus, aut Papa, ignoratur ; sicque fluctuabit omnis fides *Curiæ Romanæ.*

A. *Quid verò si Minister aut joco tantum, aut ad corporis immundiciem abluendam, aut alio quovis consimili fine, parvulum aqua conspergeret, hoccine Baptismum appellabis ?*

B. Si ad Baptismum conferendum *seriò accersitus*, præscriptam à Christo *verborum formam* adhibeat, quicquid intenderit Minister, verum contulit Baptismum.

A. *Unde verò hoc efficitur ?*

B. Ex eo, quod defectus iste, quem fingis, Ministri (quanquam gravissimus) non est in *substantia* Sacramenti, sed purè *accidentarius* ; Accidentia autem *non mutant rei essentiam.*

CAP.

CAP. XXIV.

De ſtatu mortuorum.

A. *Quid accidit animabus humanis corpore per mortem ſolutis?*

B. Piorum animæ (*a*) æternam (*b*) *mox* poſſident fœlicitatem (*c*) cum Chriſto in Cœlis; impiorum (*d*) æternos patiuntur (*e*) Inferni cruciatus. (*a*) 2 *Cor.* 5. 1. ad *v.* 9. (*b*) *Phil.* 1. 23. (*c*) 2 *Cor.* 5. 8. (*d*) *Mat.* 25. 41. (*e*) *Luc.* 16. 23.

A. *Quid de Corporibus ſtatuendum?*

B. Utrorumque (*a*) *reſurrectura* in die Judicii, ſuis denuò animabus conſocianda; (*b*) illorum quidem ad ſtatum *gloriæ*, horum *ad ignominiam, æternúmq; contemptum.* (*a*) 1 *Cor.* 15. 35. (*b*) *Dan.* 12. 2.

A. *Nunquid* idem numero *corpus reſurget?*

B. Idem ſine dubio *quoad* (*a*) *ſubſtantiam*, hoc eſt, ex eadem numero materia de novo conſtructum, (*b*) *ſicut Deo videbitur*; non idem *quoad* (*c*) *accidentia*. Hic autem, quando tacet Scriptura, in ſpecie nil temere aſſerendum. (*a*) 1 *Cor.* 15. 53, 54. (*b*) ibid. *v.* 38. (*c*) ibid. *v.* 42, 43, 44. *Phil.* 3. 21.

A. *Quid cenſes de loco Pontificio Animarum tertio, qui dicitur* Purgatorium?

B. Eum ne *unius* quidem teſtimonii Scripturalis colore vel umbra niti, quin turpem eſſe potius *animarum mercaturam*, nec exiguam in

Chriſti

Chriſti ſanguinem contumeliam.

A. *De* mercatura *iſta* (*multiſque aliis illorum Hominum ejuſmodi nundinationibus*) *diu eſt quod ea ſatis innoteſcit orbi Chriſtiano; ſed quam ſanguini Dominico labem adſpergit?*

B. Hanc ſcilicet, quod *ſatisfactionem Chriſti* elevat, ſi non evacuat; cum ea ſiquidem commiſcet *ſatisfactiones* Juſtitiæ divinæ, eáſque *poſt mortem*, humanas; unde hoc redundat graviſſimæ in Chriſtum contumeliæ, quod pro peccatis *ex parte* tantum, non *ex aſſe* ſatisfecerit, tota reclamante Scriptura: vid. *Dan.* 9. 24. *Rom.* 4. 25. *cap.* 8. 33. 34. *Heb.* 10. 14. 18.

A. *Nonne vero* preces pro defunctis *antiquitus haberi conſueverunt?*

B. De precibus *Euchariſticis* & *commemorativis* veriſſimum eſt, quin & de propriè *petitoriis* poſt aliquot à Chriſto ſecula mos inolevit, ſed cum Purgatorio iſto commune nihil habentibus.

A. *Quî ſic?*

B. Quoniam hoc tantum in illis volebant Veteres, ut fidelium animæ ad *plenariam* gloriæ poſſeſſionem in cœlis admitterentur, quâ non ante diem judicii fruituras exiſtimabant: imò fiebant preces iſtæ ob ipſos quoque *Confeſſores*, *Martyres*, atque adeò *B. ipſam Virginem*. Nihil interim de *Satisfactione* poſt mortem

tem futura, aut de fictitiis Purgatorii terticulamentis prodiderunt Antiqui.

A. *Sed nonne Apostolus ipse pro defuncto orat*, viz. *Onesiphoro?* 2 Tim. 1. 16. 18.

B. Dato nunquam concedendo, Onesiphorum cum ista Paulus scriberet, è vivis excessisse, tamen illa precatio Apostolica cum Pontificiis, in gratiam Animarum in Purgatorio sudantium institutis, nihil habet commune, (nam hic de cruciatibus ἀδῆ γεῦ.)

A. *Quidni vero Onesiphorum concedis eò loci mortuum?*

B. Quia nulla loci cogit circumstantia: nam, *Primò*, Si *Ephesi* tum ageret (ubi mansit ejus familia, c. 4. 19.) quidni includeretur, ut Paterfamilias, in sua ipsius domo?

Secundò, *Mortui* familia minùs congruè diceretur.

Tertiò, Alibi fortasse peregrinantem novit Apostolus.

A. *In Judicio Universali quis futurus est Judex?*

B. Christus ipse, cui *omnis commissa est potestas*, hominum peccatorum gratiâ judicio (longe iniquissimo) ad Crucem damnatus. *Act.* 17. 31. 2 *Cor.* 5. 10.

A. *At de Sanctis dicitur, quod ipsi quoque* judicabunt *mundum.* 1 *Cor.* 6. 2.

B. Priùs scilicet *judicati*, & tanquam *Assessores* Christo *comprobabunt* ejus sententiam.

A. Cur

A. Cur Infideles dicuntur (in hoc præſente ſeculo) *jam damnati? Joh. 3. 18.*

B. Nimirum *ex decreto Legis*, non ex (*a*) *ſententia* ſolenni ceu formali Judicis. (*a*) *Mat. 25. 41.*

A. *Peracto hoc Judicio quid ſupereſt?*

B. Tunc *Regnum* (Mediatorium ſcilicet) *Patri traditurus eſt Chriſtus*, & (evaneſcente iſto munere Oeconomico) *Deus erit omnia in omnibus. 1 Cor. 15. 28.*

Cui omnis ſit laus & gloria,
Nunc & in ſecula ſeculorum. Amen.

AP-

APPENDICULA PRACTICA

De Cœna Domini.

A. *Quorsum instituit Christus Sacramentum* (*a*) Eucharistiæ, *quod &* (*b*) Cœna Domini *appellatur?* (*a*) * 1 *Cor.* 10. 16. (*b*) 1 *Cor.* 11. 20. * εὐλογίας, idem quod εὐχαριστίας. confer Mat. 26. cum Luc. 22.

B. In gratam sui (*a*) *commemorationem*, utque (*b*) *mortem* ejus percipientes annuntient. (*a*) 1 *Cor.* 11. 24, 25. (*b*) *v.* 26.

A. *Qualis autem ea debet esse Commemoratio?*

B. Non tantum historica, in summis aut labris aut cerebro fluida (quæ (*a*) Hypocritarum & maximè Impiorum esse potest) sed (*b*) *practica* & (*c*) *affectuosa*, quæ (*d*) vim quandam salutarem animæ *fideli* altè imprimit, ac infigit. (*a*) *Ps.* 78. 35, 36. (*b*) *Psal.* 103. 18. (*c*) *Mat.* 26. 75. (*d*) *Isa.* 26. 8, 9.

A. *Id explica uberius.*

B. Talis esse debet Christi in Cœna sua Recordatio, quæ

Primò, *Crucifixi* Domini (*a*) amoris erga

se

ſe mellitiſſimo ſenſu participantis animum paſcat, & cœleſti (*b*) voluptate perfundat. (*a*) *Joh.* 15. 13. (*b*) 1 *Pet.* 1. 8.

Secundò, Quæ amoris viciſſim erga (*a*) Chriſtum igniculos in corde Communicantis exſuſcitet, in illius (*b*) laudes meritiſſimas & obſequium rapiat. (*a*) *Joh.* 21. 16, 17. *Cant.* 1. 7. (*b*) 1 *Tim.* 1. 12. ad *v.* 18.

Tertiò, Quæ Charitate flagret in (*a*) *proximum*, maximè in (*b*) *domeſticos fidei*, (*c*) ἰμοτεχνίζους. (*a*) *Mat.* 18. 32, 33. 1 *Joh.* 4. 11. (*b*) *Gal.* 6. 10. (*c*) 1 *Cor.* 10. 17.

A. *Quid eſt* annuntiare mortem *Domini?*

B. Eſt *publicè*, atque uno ſimul ore omnes fateri, mortem ejus noſtram eſſe vitam, cujus ibi non ſigna modò, ſed & *arrhæ* quædam ac *teſſeræ* ob oculos ponuntur: imò neque ſigna tantum aut *repræſentantia*, aut *obſignantia*, verum etiam *exhibentia* merito appellari dictat ratio.

A. *Dic primum quomodo elementa illa in Sacramento aſpectabilia (cum actionibus eò pertinentibus) ſigna dicantur* repræſentantia *mortis Chriſti, ſimúlque beneficiorum omnium inde ſcaturientium.*

B. Panis ſcilicet, etſi fractus, eſt (*a*) *baculum vitæ*; imò, niſi dentibus comminutus, alendo corpori non ſufficit: nec vinum (*b*) *lætificat cor*, niſi ab Uvis expreſſum, alióque transfuſum,

& quasi *extravasatum*. (*a*) *Ps.* 105. 16. (*b*) *Psal.* 104. 15.

A. *Hæc autem accommodanda censes ad Corpus & Sanguinem Christi in sacra Cœna repræsentatum?*

B. Planè; cum sacratissimi Corporis istius (*a*) *contusionibus* & *vibicibus* sanati nos simus, & pretiosissimi Sanguinis (*b*) *effusione* à peccatorum omnium sordibus & maculis abluti. (*a*) *Is.* 53. 5. (*b*) 1 *Joh.* 1. 7.

A. *Unde constat signa illa Sacramentalia* tesseras *quoq;* & sigilla *esse nostræ per Christum vitæ?*

B. Multifariam:

Primò, Ex adjuncto Sacramentis omnibus (sive Legalibus, sive Euangelicis) communi, quod est (*a*) *obsignare vitam* in novo fœdere promissam. (*a*) vid. *Enchirid.* c. 15.

Secundò, Ex fine Politico convivii publici, quod ut certissimum amicitiæ (*a*) *fœderalis* symbolum est semper inter * omnes gentes adhibitum. Fieri non potest ut Christus ad Cœnæ suæ *honorem* ac *delicias* vocaret, nisi quibus tanto beneficio testatissimum faceret, eos secum in gratiam rediisse, nec *se peccatorum velle recordari amplius*. (*a*) *Gen.* 26. 30, &c. 31. 54. *Psal.* 50. 5.

* Vide eruditam D. *Cudworth* dissert. de Cœna Domini.

Tertiò, Ex ipsa Institutionis forma & phrasibus, *Accipite, edite, bibite, hoc est corpus meum*,

um, minimè obſcurum eſt Sacramentum iſtud *obſignare* fidelium animis, quæ ſenſibus offert beneficia; alioqui non reſponderet ſigno res ſignificata.

A. *Quî ſic?*

B. Nempe non *accipitur* & *editur* corpus, neque *bibitur* ſanguis Chriſti nudo repræſentamine, (nam ad hoc utriuſque elementi ad ſacram menſam *appoſitio*, & hujus *effuſio*, illius *fractio* ſufficeret) ſed altiorem *obſignandi* ſenſum verbis iſtis ineſſe ſuadet ratio.

A. *Dic quomodo.*

B. Scilicet eodem recidit ac ſi dixiſſet Dominus; Quicunque rite præparati ad menſam meam accediris, tam certi eſſe poſſitis corpus meum pro vobis immolari, ſanguinem pro vobis effundi, utriſque animas veſtras ad vitam æternam ali, quam eſtis externis hiſce ſymbolis paſci & ſuſtentari corpora.

A. *Ea quoque ſigna in Sacramento adhibita* exhibentia *vocaſti.*

B. Sic; quod enim panis & vinum corpori afferunt, vires ſcilicet & vigorem, queîs vitæ filum extenditur, validiúſque redditur, id animæ *fideli* corpus & ſanguis Chriſti per fidem præſtat in Sacramento.

A. *Cur verò ſignis uſq; adeò obviis & expoſitis (cujuſmodi ſunt panis & vinum) tanti myſterii ſublimitatem adumbravit Dominus?*

B. Quanquam huic, eíque consimilibus quæsitis, sufficeret apud homines cordatos, & omnisapientiæ Divinæ reverentes, [*a*] respondere, quia [*b*] *sic ei placuit*, non desunt tamen diversi generis rationes. [*a*] *Rom.* 9.20. [*b*] *Mat.* 28.18.

A. Proferantur in medium.

B. Primò, Ne *signis* nimium tribueretur, quin potiùs per horum *vilitatem* Instituentis gloria magis emicaret, & per *infirmitatem* elementorum *sua perficeretur potentia*. Huc accommodari possunt illa 1 *Cor.* 1. à *vers.* 25. ad finem *cap.* 2 *Cor.* 12.9.

Secundò, Ne Sacramenta *Euangelica*, quæ toti Ecclesiæ tam plena gratiæ & suavitatis esse voluit, sint vel ulli membro, vel ullo nomine *onerosa*. Quin

Tertiò, Nec symbolis potuisse *aptioribus* totum repræsentari videtur mysterium, sive Christum ipsum, sive corpus ejus mysticum spectemus. Quid enim suave illud *fidei* epulum, partibus suis omnibus & numeris *integrum*, significantiùs adumbrare potuit, quam *panis* & *vinum*, quorum ille stabile *fulcimen vitæ*, hoc dulce *cordis levamen*. Quid fratrum * συσσιτίων in tanta personarum [*a*] varietate (ceu [*b*] *fidei*, seu *charitatis*, quâ aliis præ-lucere debent) *unitatem* coloratiùs depingere? [*a*] 1 *Cor.* 12. 12. [*b*] 1 *Cor.* 1. 10.

* *Eadem mensâ participantiũ.*

A. Quid ergo de iis censendum qui hoc ani-

me

mæ pabulum Eccleſiæ Infanti, *non* Adultæ, *proprium aſſerunt?*

B. Eos facile revinci, tum

Primò, Ex diſertis Apoſtoli verbis, ubi dicit, *quotieſcunq; panem hunc ederitis, & poculum biberitis, mortem Domini annuntiatis* uſquequo venerit, *i.e.* in gloria ad judicium : tum

Secundò, Ratione ab *analogia* alimenti corporalis ducta, quo neque Infans, neque Adultus carere diu poteſt.

A. Quid de iis, quos nulla ad hóc epulum invitat orexis, aut quomodocunq; tanti non faciunt?

B. Peſſimè ſcilicet animabus ſuis iſtos conſulere, non ſecus ac illi corporibus facerent, qui eſcam corporalem faſtidirent. *Vide* Exhort. primam in Liturgia Eccleſ. *Anz.* ante adminiſtr. *Euchariſt.*

A. Quid tamen ſiquis ab hoc Sacr. diutius quam par ſit, culpa non ſua, abſtinuerit?

B. (*a*) *Unuſquiſque portabit onus ſuum*; neque dubitandum eſt quin iſtum ſibi defectum aliunde (ex *Verbi* maximè penatio) *Pater-familias* ille cœleſtis & *Deus omnis gratiæ* (*b*) penſandum curabit. (*a*) *Gal.* 6. 5. (*b*) 2 *Cor.* 12. 9.

A. Ad ſalutarem Euchariſtiæ participationem quid requiritur?

B. Ut ſui quiſque *examen* inſtituat, útque *dignoſcat corpus Domini*, 1 Cor. 11. 28, 29.

A. Iſtius autem examinis quænam eſſe debent objecta?

B. Tria, [a] *Resipiscentia* erga Deum, [a] *Fides* erga Christum, & *Charitas* erga proximum, sine quibus omnibus qui edit & bibit, *edit ac bibit* [b] *judicium* sibi. [a] *Act.* 20. 21. [b] 1 *Cor.* ii. 29.

A. Istæ ordine percurramus, & primò cur hoc in negotio necessarium est examen antecedaneum Resipiscentiæ?

B. Quoniam si ista desit, corde impuro & minimè Christiano ad Christi mensam acceditur, quod nemo hominum [a] impunè ferret. [a] *Heb.* 10. 22. ad *v.* 32. præcipuè *v.* 29.

A. Quid autem est ista Resipiscentia?

B. Est [a] donum Dei gratuitum, quo fit conversio [b] cordis & [c] vitæ à peccato [d] omni [e] regnante ad obsequium Dei. [a] 2 *Tim.* 2. 25. [b] *Rom.* 6. 17. *Ps.* 119. 80. [c] *Ps.* 119. 59. [d] *Ps.* 119. 128. [e] *Rom.* 6. 12.

A. Ad veram Resipiscentiam quid requiritur?

B. Primò, Tristitia secundùm Deum, [a] cujúsque nunquam pœniteat, ex peccati [b] odio, [c] amore Dei, & [d] spe misericordiæ divinæ prognata. [a] 2 *Cor.* 7. 10. [b] *Ps.* 119. 104, 113, 163. [c] 1 *Jo.* 5. 3. [d] *Ps.* 51. 17. *Is.* 55. 7.

Secundò, Peccatorum [a] *Confessio* apud Deum [b] minimè fucata, & [c] particularis, eorum præcipuè [d] quæ *vastant* Conscientiam; quæ iis insuper [e] qui *animabus nostris invigilant* dicenda est, *ut prudentia Christiana dictabit.* [a] *Ps.* 32. 5. 1 *Joh.* 1. 9. [b] *Ex.* 9. 27, 34. *Ps.*

78,

78, 34, 36, 37. [c] 1 *Tim.* 1. 13. *Pſ.* 51. 14. [d] vide exempla proximè citata, ad [c]. [e] Arg. à minori vid. *Jac.* 5. 16.

Tertiò, *Satisfactio* (ubi is quoque pars læſa eſt) præſtanda proximo. *Lu.* 19. 8. &c. 17. 4. &c.

A. *Quæ præcipua ſunt ad Reſipiſcentiam irritamenta?*

B. *Primò*, Læſa peccato [a] Majeſtas, [b] Puritas, & [c] Miſericordia Divina. [a] *Jer.* 7. 19. [b] *Hab.* 1. 13. [c] *Rom.* 2. 4.

Secundò, Amor Chriſti, qui ſe victimam (in Euchariſtia commemoratam) pro peccato obtulit. 2 *Cor.* 5. 14. 1 *Joh.* 3. 16.

Et *Tertiò*, Spiritui quoque Sancto (contra luctanti) peccatorum [a] multitudine, [b] magnitudine, [c] totiéſque recurſantibus injuriis incuſſus [d] dolor. [a] *Pſ.* 40. 12. [b] *Ezra.* 9. 6. [c] *Pſ.* 78. 40. [d] *Iſ.* 63. 10. *Eph.* 4. 30.

Et *Quartò*, Datum inde [a] proximo & [b] Eccleſiæ, imo & [c] inimicis Dei *ſcandalum*. [a] *Gen.* 34. 30. [b] *Gal.* 2. 11, 14. [c] 2 *Sam.* 12. 14. *Rom.* 2. 24.

A. *De Reſipiſcentia ſatis: cur* Fides *hic requiritur?*

B. Non ſolum quia [a] *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*, ſed quia [b] *accipere, edere, & bibere* (Spiritualiter) corpus & ſanguinem Chriſti, nihil aliud eſt quam credere, aut certè quidem effectum Fidei, quæ hìc & *manus*, & *oris*,

& *ventriculi* vicem ſuſtinet. (*a*) *Heb.*11.6.(*b*) *Joh.*6.47,48.

A. *Quænam huc incentiva potiſſimum faciunt?*

B. (*a*) Veracitas Dei, ineffabilis erga Hominem (*b*) amor, & (*c*) patientia Chriſti. (*a*) *Iſ.*1.19,20.(*b*) *Jo.*10.11,15. (*c*) *Apoc.*3.20. *Mat.*23.37.

A. *Cur demum & Charitas in Proximum requiritur?*

B. *Primò*, Qūia non poteſt Chriſtum diligere (nec conſequenter ei gratus eſſe conviva) qui Fratrem non diligit. 1 *Joh.*3. & 4.

Secundò, Fruſtra eſt qui (*a*) ſuorum remiſſionem peccatorum ſperat à Deo impetrandam, nec ſuas interim fratri condonat injurioſas, aut cum eo (*b*) amicitiam colore faſtidit. (*a*) *Mat.*5.23,24.& 6.15. (*b*) 2 *Cor.*13. 11.

A. *Dicendum proxime quid ſit in Sacramento* dignoſcere corpus Domini.

B. Eſt illius dignitatis idoneam habere rationem, & *ſummâ reverentiâ*, (*a*) non ut cibum communem & ordinarium, ſed ut *cæleſtem*, & dulciſſimo plenum *myſterio*, tractare. (*a*) 1 *Cor.* 11.20,21,22.

A. *Quænam vero hoc urgent, præter ea, quæ ante diximus, argumenta?*

B. Illud potiſſimum, quod *Cœnæ* ſuæ plurimum impertivit honorem ipſe Chriſtus.

A. *Id unde innoteſcat?*

B. *Primò*,

B. Primò, Ex circumſtantia temporis quo inſtituit, *eâ* nimirum *nocte* quâ tradendus erat in manus peccatorum, quâque cum Juſtitia Divina arduum erat & cruentum ei certamen *noſtrâ vice* ſubeundum.

A. *Quid inde colligis?*

B. Primò, Nihil eſſe in hoc Sacramento humile aut leviculum; quippe quod Chriſti curam eo potiſſimum tempore, idque tam ſolenni apparatu, exercere potuit.

Secundò, Ut *Legatum* pretioſiſſimum, & ſummi, quo in eam flagrabat, amoris arrham Eccleſiæ morientem reliquiſſe.

A. *Rationem cedò alteram.*

B. Ea hæc eſt, quod ex omnibus Inſtitutionibus ſuis nullam adverſus Hominum audaciam & contemptum adeo muniendam curavit, cum per Apoſtolum interminatus eſt contemptori *corporis & ſanguinis ſui* horribilem *reatum*, 1 *Cor.* 11. 27.

A. *Ad iſta vero* quis idoneus? quis ſtabit coram devorante hoc Igne?

B. Suo nullus mortalium merito; ſed bono ſis animo contremiſcens peccator: *Ecce vocat te*, non quia *tu* dignus es Conviva, ſed quia *ipſe* benigniſſimus, idémque clementiſſimus, Hoſpes. *Accede*, *Crede*, *Reſipiſce*, & manducaſti.

Elenchus

ELENCHUS CAPITUM.

Cap. I. De Sacra Scriptura.

An Illius Authoritas pendeat ab Ecclesiâ? p. 4,5

Quid Rationi in Rebus Fidei tribuendum. p. 5,6.

De Libris Apocryphis. p. 8

Cap. II. De Natura Dei. p. 9.

Quod Omniscientiæ Divinæ objectum sunt Futura Contingentia. p. 12.

Cap. III. De Tribus in Essentia Divina Personis. p. 14.

Cap. IV. De Providentia Divina. 18

Quomodo circa malum operatur Deus. 19,20

Cap. V. De Creatione Hominis & Fœdere primo. p. 21

Contra Præ-Adamitas. 21,22

Cap. VI. De Lapsu Hominis, & miseriis consequentibus. 25

De Peccato Originali. 28,29

Nullum esse Veniale. 30

Cap. VII. De Novo Fœdere. 31

De

De Satisfactione Christi. 32,33
Cap. VIII. De Officio Christi Mediatorio. 34
An plures sint Mediatores Intercessionis. 35,36
Cap. IX. De Fide. 37
Quod Fides Justificans à reliquis specie distinguitur. ib.
Quomodo competit Infantibus 38
Cap. X. De Justificatione & Sanctificatione. 39
An detur Justificatio ante Fidem? 40
An Justificatio simul & semel peragatur? ib.
Promissiones spirituales & æternæ factæ sunt Fidelibus sub V. T. 41
Cap. XI. De Decalogo. 43
An ei præceptum aliquod substantiale detraxit Christus? 44,45
De Conciliis & Votis Papisticis. 45,46
Cap. XII. De Præcepto primo. 47
De Dulia, Hyper-Dulia, &c. fere per tot.
Cap. XIII. De Præcepto secundo. 52
De Ceremoniis. 53, *&c.*
Cap. XIV. De Præcepto tertio. 60
An liceat per Creaturam jurare? 61
Juramentum Christianis non interdictum. 62, *&c.*

De

De Voto. 66,67
Cap. XV. De Sabbato. 68
Cap. XVI. De Præcepto quinto. 70
De Obedientia Cæcâ. 70,71
De Obedientia Superioribus Debita. 70,72
De potestate Parentum circa nuptias liberorum. 72,*&c.*
Non licere Arma sumere adversus Principem. 75
Cap. XVII. De Præcepto sexto. 78
An Christianis liceat Bellare? 79,*&c.*
De Duellis. 80,81
De Cæde sui voluntariâ. 81,*&c.*
De Correptione Fraternâ. 84,*&c.*
Cap. XVIII. De Præcepto septimo 86
Quod simplex Fornicatio sit peccatum, idque non levissimum. 86
De Concubinis. 87
An licita sit Polygamia sub Euangelio? 88
An uxoris defunctæ sororem in matrimonium accipere liceat. 89
De Nuptiis primorum Consobrinorum. ib.
De Dispensationibus Pontif. circa nuptias. 90
De Repudiis & Divortiis. 91
Cap. XIX. De Præcepto octavo. 93

De

De Communitate Ana-Baptistica veteri. 94,
95.
De Sacrilegio. 96
De Decimis. 97
De Simonia. 98, *&c.*
De Usura. 100. *&c.*

Cap. XX. De Præcepto nono. 104

De Mendacio. ibid. *&c.*
De Æquivocationibus Jesuit. 107
De Criminationibus in Superiores intentatis 108, *&c.*

Cap. XXI. De Præcepto ultimo. 111

An ibi Peccatum originale vetetur? ib.

Cap. XXII. De Ecclesia. 114

An semper Visibilis. 115, 116
De Ecclesia ante Lutherum. 116, *&c.*
De Episcopatu Oecumenico Pontif. 118. *&c.*
De Episcopatu ut distinguitur à Presb. 122
De Potestate Ecclesia. 123, *&c.*
De Judice Infallibili. 124, 125

Cap. XXIII. De Sacramentis. 126

De Sacramentis Pontif. 127, *&c.*
De Pædo-Baptismo. 130 *&c.*
De Cœna Domini. 132

De

De Transsubstantiatione. ibid, &c.
De Consubstantiatione. 134, 135
De Calice Laicis non denegando. 135
An cum malis communicandum? 136
De Gestu Ingeniculationis in Euchar. 137
De Intentione Ministri. 138

Cap. XXIV. De Statu Mortuorum. 140

De Purgatorio & Precibus pro Defunctis. ib. &c.

FINIS.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ

Ad aliquot Enchiridii loca, ubi videbatur, annexa ſuffragia.

De Perfectione S. Script. cap. 1. *vid.* Art. Rel. 6.
De ejuſdem Perſpicuitate, Homil. de Script. part. 1, 2.
De miſeria generis humani Lapſi, c. 6. *vid.* Homil. eo de Argumento.
De Libero Arbitrio. Art. 10. 13.
De Peccato Originali. Art. 9.
De Satisfactione Chriſti. c. 7. Art. 31.
De Miſſæ Sacrificio. c. 8. ibid.
De Invocatione Sanctorum. ibid. Art. 22.
De Juſtificatione per Fidem. cap. 10. Art. 11. & Homil. de Salute gen. humani.
De eadem Juſtificatione & iiſdem promiſſis ante & poſt Chriſtum, ib. Art. 7. & Homil. de Fide.
De Operibus Supererogationis. c. 11. Art. 14.
De Imaginum cultu, earumque abuſu in Templis. Hom. de Periculo Idololatriæ, part. 2.
Juramentum eſſe licitum, & de natura Juramenti. c. 14. Art. 39. Homil. contra ἐπιορκίαν, & perjurium.
De Sabbato Chriſtiano, c. 15. Homil. 1. de Loco

&

& Tempore precationis.

De Obedientia Princip. debita, c.16. Homil. 5. contra Rebellionem.

De Potestate Ecclesiæ, c.22. Art. 20.

Contra Infallibilitatem Ecclesiæ. Art. 19.

De natura Sacramenti. c.23. Art. 25.

Contra Sacramenta Pontif. Art. 25.

Contra Transubstant. Art. 28. & in Rubricâ novissimâ ante S. Synaxis Officium.

De utraque Specie. Art. 30.

De Statu Piorum post Mortem, c. 24. Liturg. Offic. Funebr. precat. prima.

De Purgatorio & Indulgent. Pontif. Art. 22.

FINIS.

Errata

Pag. 70. lin. 9. lege. *Is.* 22. 21. p. 84. lin. 14. 2 *Chron.* 29. 30. *ibid. lege Gen.* 18. 19. p. 84. lin. 15. *l. Ezech.* 33. 7, 8. p. 109. lin. 20. l. 1 *Tim.* 5. 19. p. 110. lin. penult. 1 *Sam.* 3. 13.

ERRATA.

ABſente Authore, & operarum Typograph. incuriâ, multa paſſim in hac Operis parte occurrunt ſphalmata. graviora hic notavimus, reliqua (malas præcipuè punctationes) condonabit, uti ſperamus, & corriget Lector.

Inditium. p. 8. l. 1. poſt [modo] deeſt *habet.* p. 10. l. 1. l. *Sepultura.* p. 18. l. 21. poſt [Unigenitus] deeſt *quod* p. 19. l. ſummè. ib. l. ult. dele *aliis.* p. 24. l. 19. μυςηριώδες. p. 26. l. ult. 1. Joh. 5. 1. p. 31. l. 13. *Chriſtum* p. 34. l. 13. poſt Joh. 14. 4. l. Joh. 3. 6. p. 38. l. 6. l. *quibus.* p. 45. l. 15. *victricem.* p. 56. l. penult. poſt *amicis,* l. *ſolent.* p. 63. l. 25. poſt [&] deeſt [ab] p. 64. l. 1. poſt [anima] deeſt (,) l. 4. *Gygaeam.* p. 74. l. 3. [30.] p. 76. l. ult. pro Rom. 9. 9. l. 1. Pet. 3. 22. p. 94. l. 24. lege *negantibus,* & l. 15. *dientibus.* p. 96. l. 12. à *Chriſto.* p. 121. l. 17. pro *hinc* lege *Huic.* p. 125. l. 13. pro *ſuas,* lege *ſua* p. 135. l. 5. *ut tanti.* p. 142. l. 14. poſt *iſtam* l. *referre,* p. 147. l. 13. pro Joh. 14. 1. l. 16. 33. p. 165. l. 16. *continet,* p. 197. l. 17. l. Pſal. 33. p. 173. lin. penult. *ſpectabant.* p. 177. l. 20. *obſtringant.* p. 180. l. 21. ἀντευγγνῶναι p. 192. lin. ult. dele [Notiſſimum] quod alia ſequi debebant.

SYMBOLI APOSTOLICI, ET PRECATIONIS DOMINICÆ EXPOSITIO.

OXONII,
Typis *L. LICHFIELD*, & *H. HALL*.
Impensis *FRAN: OXLAD Senioris*,
Anno Dom. 1673.

SYMBOLI APOSTOLICI
ET
PRECATIONIS
DOMINICÆ
EXPOSITIO.

OXONII,
Typis L. LICHFIELD, & W. HALL.
Impensis FRAN: OXLAD Bibliop.
Anno Dom. 167[illegible]

DE SYMBOLO APOSTOLICO.

Præloquium de Titulo.

NOmen Symboli (ut inde ordiamur) familiæ recentioris videtur, quàm ipſa Res, ſeculo nimirum quarto ruente, vel potius ineunte quinto, natum. Neque enim Pſeudo-Clemens morari nos debet cum Epiſtolis ſuis Decretalibus, quibus æternæ memoriæ * Juellus noſter hanc probri notam (nec immerito) inuſſit, quod *ita futiles ſint, & ineptæ, ut eas vel ingenio mediocri puer facilimè dignoſcat, atque dijudicet*. Taceo quas alii cenſuras de iſtis tulerint: occurrit ibi fateor vox *Symboli*, ídque eo planè quo loquimur ſenſu, Epiſt. 1. ad Jacobum Fratrem (i. e. Hebraiſmi jure, *Cognatum*) Domini. Atque hinc à multis iíſque gravioribus Theologis ſubleſtæ fidei arguitur Epiſtola, Jacobum

* *Op. lat. Genevæ edit. fol. 149.*

bum illum ſeptennio ante vitâ functum aſſerentibus ; Zebedæi verò Filium intelligunt, qui ſub Herode martyrii coronam tulit. Act. 12. cum tamen ejus ἀνεψιοὶ, eſſent, non Alphæus modò, ſed Jacobus cognomento Juſtus, Hieroſolymæ Antiſtes, quem Domini Fratrem prodidere magni nominis, iſque pervetuſti Patres. Verum de illo Jacobo quicquid ſit, certum eſt Beati Clementis nugas eſſe non poſſe, quibus iſta ſcatet Epiſtola ; uti cum Jacobum monet, *ne litium advocatus, aut Judex ſecularis* (quidni inſuper ne villicus, aut colonus) fieret. Idemque de reliquis Epiſtolis Clementinis ſtatuendum, quanquam his, & hujuſmodi deliciis ſui nunquam defuere patroni. Citatur etiam pro vocabulo Symboli B. Ambroſius in Epiſt. & Sermonibus, ſed cum fatentibus inter alios & (*a*) Bellarmino, & (*b*) Baronio multa in utriſque ſuppoſititia reperiantur, perexiguam utraque merentur Fidem.

(a) *De Scriptor. Eccleſiaſt. in Ambroſ.*
(b) *ad An. 388.*

De Ruffino tamen, & Hieronymo, qui Ambroſium ætate proximè inſecuti ſunt, alia res eſt : ſiquidem apud eos diſertè occurrit, ídque ſenſu noſtro *Symbolum*, cum aliis olim gauderet titulis, apud Latinos quidem *Regula*, *Norma*, *Confeſſio Fidei*, *Judicium prædicationis*, Clavis appellitatum

tum ; apud Græcos Κανὼν, πίστεως διδασκαλία, πίστις ἀκατάθετος, ὁμολογία, ἰχθὺς, & si quod simile.

Quod autem ad Symboli notationem attinet, vox ea πολύσημος est ; sed primariò, & generaliter *notam*, sive *signum*, & *indicium* exprimit, eo plane sensu quo nomina, & verba dixerit Aristoteles esse σημεῖα τῆς ψυχῆς παθημάτων σύμβολα. Quippe (inter alia) συμβάλλειν conjicere, seu conjecturâ assequi significat, hoc enim *signis*, & indiciis maximè peragitur. Quod idem Symbolo Apostolorum haud malè quadrat, quo nimirum Fideles ab Infidelibus, Desertoribus, & Hæreticis utcunque dignoscuntur.

Significata quæ huc faciunt tralatitia, & rei propinquiora sunt. 1. *Collectæ* (ut aliquam multi volunt) Epularis, quæ scilicet, adornando convivio à singulis convivis in medium deponitur: atque huc ferè **veteres** in voce respiciunt, quasi *Symbolum* hoc esset junctarum in commune circa confessionem Fidei operarum opus. Nam quod Apostolorum singuli singulos conferrent Articulos, id veris fortasse Luciani narrationibus, aut Historiolæ de 70 seniorum cellulis commodè annumerari possit. Citatur quidem venerabilis Augustinus huic conceptiunculæ Patronus Serm. 115. de Tempore, sed mira est hominum aut

frons, aut cerebrum, aut ἀβελτέρια saltem, qui tales *populi* Filios venerandis etiam Ecclesiæ Patribus tam facilè obtrudunt.

Utcunque Etymon Cl. Vossio in suâ de Symbolo dissertatione haud admodum arridet, sic enim non *Symboli*, sed *Symbolæ* nomen usurpandum meritò contendit; & quod ad vocem attinet Latinam, quicunque satis latinè sciunt, uno, ni fallor, ore suffragantur. De voce quoq; Græcâ, calculum adjicerem ni absterreret Hesychii authoritas, cui σύμβολον, συμπόσιον, i. e. epulum collatitium, qui tamen fortè ciborum in epulis congeriem respexit, vel convivarum multitudinem cum μονοσπόντων nullum sit convivium.

2. Symbolum Tesseram notat *contractus* idem prorsus quod *Syngrapha* vel *Arrha*) neque hoc malè convenit Symbolo nostro Apostolico, uti & Baptismo, cum quo semper conjuncta est (imò antecedere debet) *Confessio Fidei*, Adultorum scilicet in propriis cujusque personis, Infantium per Fide-jussores.

3. Symbolum Tesseram designat *Militarem* ceu vocabulum in Excubiis, aut prælio imminente dari solitum (Anglicè, *watch-word*) quin & insigne, ceu vexillum, sub quo fiunt stipendia, & quo intentos esse decet

decet militum oculos. Quid autem aliud est Symbolum nostrum Apostolicum, quàm *Tessera* Christi militum, quâ se ab hostibus internoscunt, quæ suos ad certamen Fidei & vocat, in eâque continet?

Quin & 4° prætereunda minimè videtur Tessera ista publica *Amicitiæ* vetustissima, Symboli vocabulo indicata, quam Civitates, & qui rerum potiebantur Amicis peregre proficiscentibus dare consueverint, ut Hospitaliter, & benevolè à *Fœderatis* suis exciperentur. Imò & inter Privatos hoc obtinuisse notissimum est. Cujusmodi & erant in Ecclesiâ vetere tesserariæ illæ (creberrimi usus) Epistolæ *Canonicæ*, quæ *Pacificæ*, *Commendatitiæ*, *Communicatoriæ*, sive *Formatæ* audiebant, omnes ad Fidei communionem, & φιλαδελφιαν illam inter Orthodoxos sanctissimè colendam facientes. Hoc autem cum Symbolo Apostolico apprimè convenit, quippè quo Ecclesiæ membra, quamvis longè lateque locorum intervallis disjuncta, communi quodam Fidei, Hospitalitatis, & Amicitiæ Tessera, ac vinculo socientur.

Atq; hæc de Symboli vocabulo sufficiat.

Cur autem dicatur Apostolicum, inter Theologos haud ita convenit, duo tamen intrepide affirmare nil vetat.

1° Quod Apostolis ipsis magno veterum Consensu à seculo 40 adscribitur : Et quanquam nulla sit in scriptis Apostolicis diserta illius mentio, non pauca tamen eò respicere videantur. Qualia sunt τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τοῦ λογίου τοῦ Θεοῦ Heb. 5.2. & 6. 1. ἀναλογία τῆς πίστεως Rom. 12. 6 Quem in locum non est prætermittenda Doctissimi Bezæ interpretatio his verbis; *significavit Apostolus verum Canonem prophetiæ, i. e. interpretationis scripturarum veræ à falsâ discernendæ, nempe si ad Christianæ Fidei axiomata ὑπόμνησιν exigantur symbolo comprehensa, quod Apostolicum vocant, & quod eam inde ab initio Evangelicæ prædicationis, veluti Evangelii epitome scriptum fuit, ideóque norma, & Regula Fidei merito à Tertulliano vocatur.* Hæcille.

Huc adducta sunt a[b] aliis multa S.scrip. loca, & quædam verisimilia, quale illud est, ἅπαξ παραδοθεῖσαν τοῖς ἁγίοις. Judæ. 3. sed hæc nobis sufficiunt, qui argumenta quæcunque non tam ex *numero*, quàm ex *pondere* æstimamus, neque tantum aut nostris, aut alicrum tribuimus conjecturis, quin facilè præveritatis simul & pacis reverentiâ melioribus moniti cedamus, tantisper potissimum dum intra *conjecturæ* limites tota quæstio versatur, quod in hoc contingere arbitramur.

vid. Geo. Aſtwell. [Fides Apoſtolica, c. 3.]

bitramur. Multa quidem, ſdque acritèr, & doctè ſuo more diſputat C. Voſſius, quæ tamen (quo fuit & judicio, & modeſtiâ) vix opinor ab eo pro demonſtrationibus habita. Sit hîc libera cuique per me ſententia. Alterum illud de quo minimè hæſitandum reor hoc eſt, quod Symbolum Apoſtolicum ſi non ab ipſis Apoſtolis conditum, in Eccleſiâ tamen ab illorum temporibus proximè obtinuit. Conſtat quidem de Ignatio, qui ſe Chriſtum poſt reſurrectionem in carne * vidiſſe aſſerit, modo locus ille in Epiſtolâ ad Magneſianos, ubi totum ferè Symbolum κατὰ πλάτος, recitat, non ſit interpolatus, nam ut ſuſpectum, & veteri Latinæ editioni ſubditititium *minio* ſignavit in editione ſuâ *Magnus Uſſerius*; & ejuſdem ferè notæ ſunt illa Symboli fruſtula quæ exhibet Epiſt. ad Trallianos, in quibus à Symboli verbis longiùs diſceditur. Ego ſanè nullus dubito Symbolum hoc ſub eadem propè formâ, quâ nunc cernitur, Eccleſiæ notum fuiſſe B. iſtius Martyris ætate; de exemplarium Fide non ita conſtare arbitror. Apud Irenæum verò qui ætate proximâ floruit, & Policarpi (Apoſtolorum συγχρόνου) Diſcipulus fuerat multa occurrunt Symboli noſtri veſtigia terminis ſolummodo

* Epiſt. ad Smyrnæos.

Adverſ. Hæres. l. 3. c. 3.

culis discrepantia. Pari modo Tertullianus qui seculo saltem tertio ineunte floruit, adv. Hæret. l. 1. c. 13. Idem & Cyprianus ei contiguus, quamvis expositio illa Symboli non sit Cypriani, sed Ruffini, sub cujus etiam nomine reperiturinter opera Hieronymi. Nam & Arianorum, & Donati, ibi meminit, quorum nomina non nisi multis post ejus *natalitium* (sive Martyrium) annis audita sunt. Cyprianum excipiat Marcellus Ancyranus tempore Epiphanii qui ob intentatam Hæresin quasi in Sabellii, & Novati quoque castra transiisset munere abdicatus, literas, quibus se purgaret, ad Julium Episcop: Rom. dedit (vel potiùs apud eum exul reliquit) insertâ confessione Fidei, quæ cum Symboli Apostolici verbis, si unum aut alterum excipias, per omnia convenit. Neque de viro Epiphanius ipse malè sentit, nec, sicuti opinor, debuit. Recitato autem Symbolo, mox subjungit, ταῦτα ἡ ὑγιὴς διῶν γραφῶν ὁμολογία τὴν πίστιν &c. Hanc Fidem a S. scr. acceptam, & à majoribus doctam ad te mitto, cujus exemplar apud me retineo. Inde ab Epiphanio ad Hieronymum proximè proceditur, à quo secundo flumine, imo & præcipiti ferimur ad nostram

noſtram uſque ætatem. Hinc uti reor, palam eſt Symbolum hoc noſtrum, ſi minùs ab ipſis Apoſtolis conditum, certe ab ultimâ ſecundum eos antiquitate eruendum. Neque tanti videtur quod non eadem prorſus *imagine*, quâ hodiernum conſpicitur, aut quod in eo recitando Patres aliquantulâ *verborum* libertate, ſenſuum tenaciſſimi, utantur. Nam cùm eodem planè ordine, & iiſdem ferè verbis recenſeant, nonnulla tantum, ut res tulit, ſubinde interpolantes, ceu *explicandi*, ceu *Hæreticis* occurrendi gratiâ, pauculis item quæ ad præſens inſtitutum minùs fortaſſe faciebant, interdum prætermiſſis, injquum videatur, ut tantula hìc illic diſcrepantia Symboli hujus venerandæ antiquitati quicquam derogaret. Articulum *de Deſcenſu* tantum excipio, qui licet eadem nunc (adeóque à permultis retro annorum centuriis) cum reliquis geſtet inſignia, tamen ut *Junioris Domus* (ſi ita loqui fas ſit) cum Differentiâ; nam in Symbolis Antiquiſſimis eadem fere verborum forma conſentientibus haud reperitur, ne in *Nicæno* quidem illo ceu Conſtantinopolitano; & quanquam in *Athanaſiano* locum habet, nulla tamen *Sepulturæ* mentio, unde ſecundùm illius mentem Deſcenſus,

& Sepulturæ ἐπιτυμβίαι videantur; atque hæc omnia palam, cuique faciet αὐτοψίαν. Porro, cum Symboli originem à seculo fere Apostolico deduximus, & Patres ultimæ antiquitatis ut rei notissimæ, & dudum ad eos derivatæ mentionem ejus semper faciant, quid ni hic celebrata Augustini Regula obtineat (sed bonâ cum Doctiorum venia) haud video, *Quod semper in Ecclesiâ obtinuit, nec Concilio aliquo definitum est, id ab Apostolis traditum rectissimè creditur.*

Symbolum

Symbolum. Art. I.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, &c.

A. *NUm omnes qui Symbolo Apoſtolico aſſenſum profitentur, continuò Orthodoxorum Albo inſcribendos exiſtimas?*

B. Ita ſanè, ſi ſenſu *Scripturali*, & Eccleſiæ Catholicæ *primitivæ* intelligant. Secus enim ſingulis nomen Chriſti falſo venditantibus (etiam maximè Hæreticis) ſana tribuetur Fides. Itaque ſi explicationem ſpectemus, à ſymbolo ad Scripturas ipſas datur appellatio, utpote multò copioſiùs & dilucidiùs exponentes, quæ illic (uti ſumma tantùm Fidei Capita) ſtrictiùs perſtringuntur.

Credo.

A. Quid eſt Fides quâ Symbolum creditur ad ſalutem?

B. Ad vitandas, quà pote, tenebras diſtinguendum arbitror de duplici objecto Fidei: alterum *ſimplex* dicatur & *perſonale*, quale Deus eſt & Chriſtus αὐτόθεος, quò propriè dirigitur Fides Juſtifica, quæ ut Chriſtum

Christum respicit, describitur, Enchirid. c. 9.

Alterum vero *complexum*, sive *materiale*, propositione scilicet aliquâ exhibitum, qualis hæc est, *Christus venturus est ad judicandum vivos, & mortuos.* Ista autem Fides est quæ potissimum in quæstione continetur, illámque Assensum esse dicimus firmum, & indubitatum, divino nixum testimonio, cum *amore* simul, & debitâ *applicatione* veritatis.

A. *Quorsum verò adjecisti*, cum amore, & debitâ applicatione veritatis.

B. Ut distinguatur Fides, quâ credi debet Symbolum, *necessaria* à *sufficiente* à Diabolorum, scilicet, Hypocritarum, atque adeo Impiorum quorumcunque Fide, aut phantasmatis.

A. *Cur in singulari dicit Symbolum*, Ego *Credo*, *non autem*, Nos *credimus?*

B. Quia Justus ex Fide *(a) suâ* vivet, non alienâ, nec verbum Dei minimè applicatum Credentis personæ quicquam prodest, uti nec jejuno non sumptus cibus. *(a)* Heb. 16. 38.

In Deum.

A. *Cur* in Deum *dicis*, in Christum, in Spiritum

Spiritum ſanctum, *locutionè puritati latinæ parùm conſentaneâ* ?

B. 1° Quia vox πιστεύω, *Credo*, ubi *tranſitiva* eſt, & objectivè ad Deum relata invenitur in N.T. ſemper ferè aſſeclam habet præpoſitionem εἰς, vel ἐπί, Hebraizans, ut puto, cum & ejuſdem ſignificationis, האמין, accerſere ſibi ſoleat præpoſitiones ל, vel ב, quæ Græcis εἰς vel ἐπὶ, vel ἐν reſpondent: ita ut ex Hebraicâ, & Helleniſticâ loquendi conſuetudine fatendum ſit, æquipollere Credere *in Deum*, & Credere *Deo*, verum.

Vid. plura apud Doctores Heylyn & Pierſon *in Symbolum.*

2° Cùm & ipſi quoque Diaboli *Deo* credant, neque Fidem tamen habeant omnem in Symbolo requiſitam, cúmque (præeunte Magno Auguſtino) Theologi plerique omnes phraſes iſtas diligentiſſimè diſtinxerint, diſtinguendas & Ipſi cenſemus, ita ut Credere *Deo*, ejus tantum *veracitatem*, ſed Credere *in Deum*, *potentiam* quoque, *benignitatem*, & *miſericordiam* reſpiciat: idem ſcilicet quod fiduciam in eo collocare, non autem *exiſtentiam* modò, & proprietates infinitas agnoſcere.

A. Vi'n' ergo ut vocabulum [Credo] hoc ſenſu ad omnes ſimiliter Articulos accomodetur ?

B. Abſit, hoc enim impium foret, & abſurdum

abſurdum, ſed tantum quà refertur ad Deum, cum in eo (*a*) ſolo ſpes omnis & *fiducia* collocanda ſit. De reliquis ſufficit aſſenſus certus, & divinus, cum debitâ applicatione, ut ante diximus. (*a*) Jer. 17. 5.

A. *Quid, itaque eſt Credere* in Deum?

B. Eſt 1° unius & veri Dei agnoſcere (*a*) exiſtentiam, cum omnibus eò attinentibus proprietatibus. 2° Neminem habere neque in cœlis, neque in terris, cui innitatur, & incumbat (*b*) anima, vel ad vitam hanc mortalem, & ærumnoſam, vel ad futuram beatificam, præter ipſum. (*a*) *Heb.* 11:6. (*b*) *Pſalm.* 73. 25.

Deum eſſe dicere omnes natura duce vehi rectiſſimè pronuntiavit Cicero, de Naturâ D. l. 1. *prope initium, & alibi, loco ſatis celebrato*, Nulla Gens tam fera, tam barbara, quin Deos habendos ſciat, etſi quales ſint ignorent. *Quod enim de Protagora ibidem memorat, eum ſcilicet an Dii eſſent dubitaſſe; Diagoram verò & Theodorum omnino nullos ſenſiſſe (quorum Nigro, ut alios taceam, eodem jure adſcribatur Lucianus) multum abeſt ut eos Atheos fuiſſe credam, quin potiùs circa Deum* unum, *& verum rectius Orthodoxos, Idololatras ſtupidiſſimos, & Polytheitas falſè quidem, ſed merito ridentes*

Tuſc. l. 1.

quod de Luciano potiſſimum oſtendunt arguti ejus Diologi neque mirum videri debet, ſi ideo martyrium (uti Socrates) minimè affectarent, ſed vulgo εἰδωλομανῶντι *riſum mallent quam bilem concitare, id enim norunt adverſo flumine remigium.*

Quanquam verò fieri poteſt (imo uſu ſæpe venit) ſcelerum ſuorum diuturnâ conſuetudine, turpiſſimiſque complexibus dementatos Homines, eò præcipitari blaſphemiæ, ut Deum ore negent, voto horreant, moribus ejurent, mihi tamen ægrè fiet fides, hanc eis deeſſe Fidem, utpote,

—queis diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere pulſat;

quibuſque oculi unquam indulti, queis ſtupendum illum cœli fornicem ſuſpiciant, imò vel mundi pavimentum intueantur Terram, quæque in utriſque mirabilia cotidie etiam invitis occurſant, ſi ſaltem ſeipſos contemplari non vacat.

Quod autem ad Unitatem *Divinam (ſive ſingularem Dei naturam) pertinet, quicquid ſuo more fabulati ſunt Poetæ (ne forſan impietatis apud vulgus notam & periculum minùs cautè ſubirent) ſive tamen Deos* majores, & conſentes, *ſive* minores & ſelectos, *ſive* patrios & domeſticos *reſpiciamus, quantumcunque*

cunque demum juſto Dei judicio, Hominúmque inexcuſabili ſtoliditate & libidine excrevit numerus, notiſſimum eſt unum duntaxat omni apud eos ſeculo Deum agnitum ſupremum viz. Jovem (ſive Jehovam, nam inde nomen profluxiſſe nullus dubito) quem iccirco Patrem Hominum atque Deorum vocitarunt, cæteros potius ut ejus miniſtros ſubſidiarios, & feudataria quaſi numina, agnoſcebant, quippe tot tantiſque negotiis unum minimè ſuffecturum ſtulte judicabant. Cur verò non ſolùm animalia Bruta, ſed res quoque inanimes, imò & manu factas divino honore proſequuti fuerint, nullus ei admirationi locus relinquetur, qui juſta Dei judicia ſecundum Scripturas ſeriò perpenderint. Crediderunt tamen illi rebus iſtis quas ita colebant vim quandam virtute conſecrationis humanæ famulari divinam, quod optimè monet Grotius in Exod. 32. 5.

Ubi obiter Moncæii cujuſdam prætereunda non eſt arrogantia, qui in tractatulo, quem Aaron Purgatus inſcripſit (de vitulo aureo) contra manifeſtiſſima ipſa ſacri Textus teſtimonia, Patrum, Omnium ut puto, Scriptorum antiquorum, recentiorum, ne Judaicis quidem exceptis Aaronem, ſi non populum (nam hoc æquo ſaltem jure

jure potuit) tam infando crimine absolvere ausus est. vid. in Crit. Sacr. Tom. 9. Ille interim causæ suæ Pontificiæ servire voluit, & per me vitulam *istam sibi sulsque habeat, quâ dignum censent qui librum Typis commendabant. Hinc tamen discamus ex quo fonte hauserint Pontificii defunctorum Hominum & Imaginum cultum, de quo nemo contra eos melius disseruit, quam Medus noster in aureo suo de* novissimorum Temporum Apostasia *libello.*

Patrem.

A. *Num vox Patris hìc sumenda est* essentialiter, *uti loquuntur, sive ut singulis in Sacrosancta Triade communicanda personis, vel potiùs* personaliter, *& primæ peculiaris & propria?*

B. Personaliter potius, alioqui nulla erit in Symbolo primæ personæ mentio, qualis tamen reliquarum diserte facta conspicitur.

A. *At idem Pater Creator dicitur Cæli & Terræ, à quo tamen glorioso opere neque Filius excludendus est, neque Spiritus Sanctus, unde singulas videatur includere personas?*

B. Sed hìc primam tantum designat, cui scilicet etsi toti Triadi suo modo commu-

munis Creatio peculiari ratione adſcribitur, ſicut & Redemptio Filio, & Regeneratio Spiritui Sancto.

A. *Unde igitur Patris appellationem habet Deus qui prima Perſona dicitur?*

B. 1° generaliùs reſpectu Creaturarum omnium, quas verbo & manu ſuâ omnipotente condidit, alit, ac ſuſtentat. Quippe cum Creatio ſit quædam Generatio, & Conſervatio *productæ* quædam Creatio, utroque nomine [a] merito omnium dicatur Pater. (a) Mal. 2. 10. Eph. 4. 6.

2° ſpecialius Pater eſt Adoptionis jure Juſtificatis omnibus & regenitis in Chriſto, cum quo etiam non Filii modò, ſed *Hæredes & cohæredes* conſtituuntur fælices Animæ. Rom. 8. 17.

3° Senſu adhuc ſublimiore magiſque reſtricto Pater eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti, ità ſcilicet ut Hic Filius ſit ejus unigenitus, quod innumera teſtantur S. Scripturæ ſuffragia.

A. *Explicetur hoc uberiùs?*

B. Deus (Perſona prima) Pater eſt Chriſti.

1° Per [a] *generationem æternam*, ſive [b] communicationem eſſentiæ Divinæ prorſus ineffabilem, ita ut (quod Symbolo habetur Nicæno) ſit *Deus ex Deo, verus Deus ex ve-*

ro

ro *Deo.* Hic autem vela contrahat Ratio, & pandat Fides. (a) Heb. 1. 5. collat. cum. v. 3. (b) Joh. 5. 26. & 6. 57.

2° Quoad generationem *temporaneam* naturæ humanæ in utero B. Virginis, nam etsi opus istud supernatutale Spiritui *S*ancto peculiariter tribuatur, tamen cum sit Ille *S*piritus Dei, & Pater Personarum sit ordine prima, & Fons quasi Deitatis, ad ipsum quoque Generatio ista pertinebit, unde meritò dicatur Pater. Luc. 1. 35.

A. *Quid est itaque Credere in Deum ut Patrem Nostrum?*

B. Est omnia illa ab eo fidentèr expectare (modo in Filios adoptemur) quæ à Patre summè bono, & de Liberis suis maximè sollicito sperari possint & debeant. *Mat.* 7. 11.

Omnipotentem.

A. *Cur dicitur Deus Omnipotens?*

B. Tum ratione potestatis, sive juris & (*a*) Dominii quod super omnia extenditur; tum ex parte virium, sive potentiæ, quâ facit, & potest facere (*b*) quicquid vult. (a) *Psal.* 103. 19. (b) *Psal.* 135. 6.

De Attributis aliis, sive Proprietatibus aliis, *vid. Enchirid. c.* 2.

Creatorem Cœli & Terræ.

A. *Quid nomine Cœli & Terræ continetur?*

B. Creaturæ omnes, ſive viſibiles ſint, ſive inviſibiles, quæcunque ſcilicet in mundo aut ſuperiore, aut inferiore locum habent, quod ſatis explicant complura alia Scripturæ teſtimonia, uti *Pſal.* 146. *&c.*

A. *Itaque à creaturarum claſſe non ſunt eximendi Angeli, de quibus tamen Moſes in ſuâ Creationis Hiſtoriâ nihil attigit?*

B. Quod de Moſe dicis verum eſt, quippe cui hoc conſilium erat, ut de rebus tantum corporeis, & ſenſibilibus ſermonem texeret, verum ex aliis Scripturis, & rationibus abundè hoc evincatur.

A. *Cedo iſtas.*

B. Unicum (inſtar omnium) è Scripturis dabo teſtimonium, *Col.* 1. 16. verba hæc ſunt, *Nam per eum condita ſunt omnia tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terrâ viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni ſint, ſive Dominationes, ſive Principatus, aut Poteſtates, Omnia per eum, & in eum condita ſunt.* Hìc Angelos intelligi nemo ſanus negabit.

A. *Da itidem rationes.*

B. Palmares hæ ſunto 1° quia filii Dei appellantur, eíque applauſiſſe, cum jaceret terræ

terræ Fundamenta. *Job.* 38.6,7.

A. *Quid inde colligitur?*

B. 1° Cum Angeli Filiorum Dei nomine insigniantur, neque tamen citra absurditatem Filii tot *unigeniti* (sicut Christus) appellari possint, eo minores esse, & consequenter esse Filios per Creationem. 2° Angelos inter creaturarum primas imò & præcipuas fuisse conditas.

A. *Quam habes aliam rationem?*

B. Jubentur omnes Angeli Christum [a] adorare, etiam cum formâ servi descendit in mundum hunc inferiorem, proindè non esse Christo conferendos utpote meras creaturas. [a] *Heb.* 1.6.

A. *Quando autem conditus est Mundus?*

B. Initio temporis proprio, *Gen.* 1. Non autem initio illo *æternitatis* improprio, uti Christus, *Joh.* 1.1. quippe quia Deus erat, *ibid.*

A. *An ergò Mundus non erat, aut saltem esse potuit, coæternus ipsi Deo?*

B. Non fuisse altùm clamat Scriptura, ubi dicit *verbo*, & *manu* Dei conditum, uti rem ab ipso creatore diversam, proinde non ei co-æternam; nullus enim effectus per transmutationem, qualis est mundus, potest esse causæ suæ coævus: Mundum au-

tem ſtatuere effectum per *Emanationem* (quanquam & ſic naturâ poſterior eſſet) eſt facere Deum, aut (quod idem eſt) Proprietatem aliquam Divinam, quod maximè eſſet impium & ab omni ratione alieniſſimum. Hinc etiam evincitur, quod non potuit ipſi Deo coæternus exiſtere

A. *Sed quomodo potuit mundus Creari ex nullâ materiâ ſive ex nullâ re extra Creatorem ipſum præexiſtente?*

B. Certè hoc finitis creaturæ viribus fieri impoſſibile concedimus, quæ ex nihilo nihil facit. Sed Deum Omnipotentem, Independentem, & ſoli ſibi Sufficientem, ut agat quicquid velit (ceu materiâ adhibitâ, ceu non) Creaturæ ulnâ metiri (quæ ad ipſum [a] nihil eſt, & minus nihilo) non rationis, ſed dementiæ eſt. [a] *Iſ.* 40. 17.

A. *Videtur tamen ex hiſtoriâ Creationis Moſaicâ ſenſibilia nulla præter Lucem Cæli, Terræque molem (rudem adhuc & informem) ex nihilo fabricata, certè quicquid de reliqua creationis parte ſublunari ſtatuendum, conſtat hominem ex Terræ pulvere (quoad corpus) conſtitutum.*

B. Id quidem negari non debet: iſta verò Creatio impropria, ſecunda, & æquivalens dici conſuevit, non propria & formalis, ut illa prior: Creationi tamen propriè dictæ

dictæ æquivalet, quoniam ſine virtute ſupernaturali & omnipotente in tales corporum ſpecies & formas planè [a] admirandas inepta prorſus eſſet materia, quæ compaginari unquam potuit. [a] *Pſal:* 139, 14, 15, 16.

A. *Quid hinc diſcit Fides?*

B. 1° In admirationem rapi potentiæ, bonitatis, & ſapientiæ, quâ condita ſunt omnia. *Pſal:* 104. 24. 25. *Apocal.* 4. 11.

2° Vitam formare totam in [a] cultum, obſequium & amorem Dei, in eóque [b] ſpem omnem ponere. [a] *Jer:* 5. 22. [b] *Iſ:* 40. 28. 31.

Art. 2. *Et in Ieſum Chriſtum.*

A. *Unde* Θεσπρώπῳ *inditum nomen Jeſu?*

B. Jubente Deo per Angelum antequam naſceretur, additâ meritiſſimâ nominis ratione; *Ipſe enim ſervabit populum ſuum:* Quippe Jeſus, ſive Jehoſhua *Hebr:* idem ſonat, quod ſalvator Latine. [a] *Mat.* 1. 21. *Luc:* 1. 31.

A. *An itaque Jeſus ei nomen proprium & perſonale fuit, quale circumciſionis tempore Infantibus indi ſolitum?*

B. Sanè ſicut & Chriſtus, ſive Meſſiah Hebr: nomen Officii, quod unctum notat, ratione

muneris & Regii, & Sacerdotalis, & Prophetici, quibus etiam singulis examussim præstandis unctionem à Spiritu accepit sine modo. *Is:* 61. 1. *&c:* collat: cum *Joh:* 3. 34.

* *In Sym:* fol. 96. *&c.* *Valde placet ariolatio doctissimi* **Piersoni* (*cui etiam astipulantur Fagius, Bonfrerius, & alii*) *de mutato à Mose nomine Oseæ filii Nun. in Jehoshuam, sive Jesum: Num:* 13. 16. (*aliis* 17) *quod scilicet haud sine magno & singulari mysterio factum fuerit, cum eum Jesu nostri Typum luculentissimum fuisse constet, ut qui populum suum in Terræ promissæ possessionem quietam debellatis & deletis circumquaque hostibus introduxit: Licet enim Hebræis familiare sit, istud* ' *Heæmauticum in formatione nominum Propriorum præponere* (*ceu ornatus, ceu animi causa*) *quo tamen consilio mutationem istam Moses faceret, nisi* μυστικῶς *haud expeditus est conjecturæ locus, præcipuè cum nulla alias sit in sensu variatio* (*idem enim* & הושע & יהושע *sonant,*) *itaque non ibi nudæ Heæmanticæ munus exercet, sed vice fungitur magni Tetragrammati* (*cujus est litera* 1ª) *sicque Salvatorem Domini* (i. e. *à Domino constitutum*) *vel per Dominum notat. Dominus autem ille noster est Jehosua, sive Jesus omnigenæ salutis Dux invictus, & Fons Perennis.* Sed videsis Authores supra laudatos præcipue

præcipue Reverendum Pierſonum.

A. *Num Chriſtus noſter ille idem eſt Meſſias, qui promiſſus eſt Patribus jam inde à primo* [a] *lapſu, quemque tot venturum denuntiârunt* [b] *Prophetæ?* [a] Gen:13.15. Gen:12.3. *collat: cum* Galat: 3.16. Gen: 49.10. Deut:10.15. *collat: cum* Act: 3.22. Iſ: 9.6. [b] Dan: 6.24. *&c: cum innumeris ferè aliis.*

B. Hoc Promiſſionum ſimul & Prædictionum indubitata adimpletio ſatis ſuperque demonſtrat; quicquid pro vetere ingenii pervicaciâ, juſtóque ſimul Dei Judicio occæcata obſtrepat blaſphema Judæorum colluvies.

A. *Quibus præcipuè mediis miſerorum Homuncionum revinci hoc poterit inſaniæ?*

B. Luculentiſſimis veteris Inſtrumenti Teſtimoniis, cujuſmodi ea omnia ſunt, quæ ante [a] ſubverſam, & ab imis radicibus evulſam, eorum Politiam, (quomodo nunc cernitur, atque ab exidio urbis uſque & Templi univerſo orbi notiſſimum fuit) venturum prænunciant Meſſiam, eáque inſuper quæ gloriam pollicentur multò majorem Templo [b] ſecundo quàm primo, cum hoc tamen omnibus omnino nominibus multo eſſet illo [c] auguſtius, uno hoc excepto, quod illud Chriſtus Dominus Gentium deſiderium præſentiâ ſuâ, dictis, factíſque diviniſſimis

divinissimis ornaverit, aliámque frustra est qui rationem, vel unam expiscari velit. [a] *Gen:*49.10. [b] *Hagg:*2.7. [c] *Hagg:*2.3.

A. *Sed dato quod Messias de facto venerit, unde liquet Jesum Christum illum esse ipsum revera Messiam?*

B. Ex eo quod omnes de Messiâ Prophetiæ (ad minimas usque circumstantias) in illo uno complementum acceperint, quod bina Fœderis Instrumenta invicem conferenti facilè constabit: Nos brevitati studemus: Qui plura vòlet, consulat Reverendum Piersonum in Symb: Art: 2: qui hæc omnia non minore quidem eruditione quam copiâ & diligentiâ pertexuit.

A. *Quid hinc Fides efficit, quod Jesus noster sit Christus?*

B. Totum quodammodò Religionis Christianæ, nisi enim *unctus.* i. e. à Patre constitutus esset ad singula, quæ illius esse profitemur, obeunda munia, vana esset omnis Fides, vana Evangelii prædicatio, cujus ferè summa est Jesum esse [a] Christum, i. e. *Salvatorem* à Deo Patre ordinatum & constitutum. [a] *Mat:*16.16,17. *Joh:*5.1.

Cap. 2. Art. 2. *Unigenitum Filium ejus, Dominum nostrum.*

De Filio Unigenito respice quæ paulò ante dicta sunt de Patre, déque Personâ, & Officiis Christi Mediatoris, vid: Enchirid: c. 3. & 8.

A. *Cur dicitur Jesus in Symbolo* Dominus *noster?*

B. Non tantum ratione Dominii *absoluti*, [a] (quâ est super omnia Deus benedictus in sæcula, *Rom:* 9. 5.) sed Jure *Oeconomico*, & *Delegato*, ut Mediator, eóque duplici,

1° Generali, quo omnis ei potestas tradita est in Cœlo & Terrâ. *Mat:* 28. 28. *Joh:* 5. 27.

2° Speciali, idque est, 1° Jus acquisitionis sive [a] pretii, quo nos redemit: 2° Jus [b] Belli, quo subegit. [a] 1 *Cor:* 6. 20. [b] *Rom:* 5. 10. 2 *Cor:* 10. 4. *Col:* 2. 15.

A. *Quid itaque credimus (ex mente Symboli) de Jesu Christo Domino nostro?*

B. Eum scilicet Deum esse verum, Dominúmque omnium, sed ratione peculiari *nostrum*, i. e. Credentium, qui solus à potestate tenebrarum mortis, & diaboli, pretioso suo sanguine, & victrice manu redemit

demit,[a] noſtri curam ſemper agit,[b] quóſque captivos pluſquam victores & Reges fecit, per quem [c] unum ſperando omnis ſalus, cui demum uni [d] vivere, & mori debemus. [a] *Joh:* 14 18. *Heb:* 13.5. [b] *Apocal:* 5. 1. *Rom:* 8.37. [c] *Rom:* 8.32. [d] *Rom:* 14.8.

Art. 3. *Qui conceptus eſt ex ſpiritu Sancto, Natus ex Mariâ Virgine.*

A. *Cur conceptus eſt Chriſtus ex Spiritu Sancto, non autem ab Homine per generationem naturalem?*

B. Quoniam erat ipſe Sanctiſſimus, Agnúſque ſine maculâ futurus, qui tolleret peccata Mundi. *Luc:* 1.35.

A. *At quamvis ἀπάτωρ propriè quoad naturam eſset humanam,*[a] *quomodo poteſt eſſe Mundus qui naſcitur ex muliere?* [a] Job:25.4.

B. Per Sanctificationem uteri Virginis *ſupernaturalem* planè & mirificam, quæ *obumbrationis* vocabulo notatur. *Luc:* 1.35.

A. *Quomodo conceptus eſt Chriſtus ex Spiritu Sancto?*

B. Non per communicationem *Eſſentiæ* divinæ (quâ Filius Dei nunquam caruit) non per *Creationem* alicujus novæ Subſtantiæ

tiæ à [a] semine Virginis diversæ, sed ejusdem *sanctificatione* simul ac *præparatione* in utero, modo prorsus ineffabili, ut inde prodiret Christus Homo, non [b] exuendo quod antè fuit, sed induendo quod non. [a] *Gal:* 4.4. [b] *Rom:* 9.5. *Joh:* 1.14.

A. *Num itaque Christus verus erat Homo, vero corpore animáque humanâ præditus?*

B. Omninò, quod ubique clamat Scriptura, ejusdem planè [a] carnis & sanguinis nobiscum particeps; esuriens, sitiens, edens, bibens, dormiens, lachrymans, sudans, manu palpabilis, uti nos, & demum in eâdem carne multa à sanguinariis contribulibus indigna & horrenda ad mortem usque perpessus. [a] *Heb:* 2.14.

A. *Hæc quidem carne indutum probant, quid habes de Anima?*

B. Testem Ipsum (omni cavillo majorem) in agone isto Animæ mirabili. *Mat:* 26. 28. nec potuit sanè Filius Hominis dici si humanum haberet nihil præter corpus, nec [a] in sapientia crescere (cujus non est capax subjectum moles corporea) imò nec dolores sentire, quos sensit tamen acerbissimos, & multa insuper ex isto Hæreticorum delirio jampridem explosо præter jam prolata nasceretur Absurdorum seges. [a] *Luc:* 2.52.

A. Per-

A. *Manſerunt igitur in Chriſto ſuæ cuique naturæ proprietates* illæſæ, diſtinctæ, & inconverſæ?

B. Prorſus, idque in unâ & eadem perſona διαιρέτῳ ſuffragante paſſim Scriptura, & Symbolo Athanaſiano.

A. *Quâ autem Hoc ratione nititur?*

B. Ex eo quod ſi eſſet ulla naturarum, aut confuſio, aut abſorptio, Chriſtus nec Deus eſſet, nec Homo, ſed *medium* neſcio quid ex utroque conflatum, uti miſtum neque hoc eſt elementum, neque illud, unde contemperatur. Quod autem ad naturarum *converſionem* attinet, ea tot & tantis ſcatet abſurditatibus, ut recenſere pigeat.

Videſis Doctiſſ: Pierſonum in Art. 3.

A. *Quid ex incarnato Chriſto diſcimus?*

B. 1° Stupendum mirari Gratiæ Divinæ, & Amoris Chriſti myſterium; His enim unicè ſtimulis incitatus Servator Mundi, quanquam *minimè latrocinium duxerat æquari Deo*, Formam Hominis, imo & *ſervi* non reſpuit, quo peccatores Deo reconciliaret. *Heb:* 10. *à* 5. *ad* 10. *Gal:* 4. 4,5.

2° Hinc quoque Juſtitiæ Divinæ ſpeculum nobis inſigne proponitur, quæ nullum niſi ex Chriſto carne induto voluit accipere placamentum: Hinc & Ira Dei adverſus

versus peccatum, unà cum peccatoris miseria luculentissimè ostenditur. *Heb:* 9.22. & *c.* 10. 4.

3° Cum unio illa personalis, & hypostaticâ in Christo cum natura Divina ad tantum honoris fastigium evexerit Humanam, memores esse oportet Christianos, ne quid humile aut sordidum, aut naturâ suâ usque adeo exaltatâ, quidvis indignum faciant. *1 Cor:* 6.15.20. *Eph:* 5.30.

Art. 3. *Natus ex Maria Virgine.*

A. *Unde constat Mariam, quando Christus peperit, fuisse virginem?*

B. Ex virgine nasciturum Christum illa præ cæteris docet Prophetia. *Is:* 7.14. *Ecce Virgo concipiet*, &c:

A. *At constanter volunt Judæi vocem* עלמה *(quæ* Virgo *redditur) non tam* statum *notare, quam* ætatem, *idémque quod* Adolescentula *valere &* בתולה *propriè virginem significare.*

B. Volunt sanè, sed odio Jesu Messiæ, nec mirum, cum hìc locus tantopere pungat, nullibi enim alio significatu reperitur in Scriptura; nam ut עלמה *Prov.* 30.19. de *scorto* cum eis interpretemur, aut de ulla omnino muliere, nisi cujus pudor Virginalis

lis intactus adhuc,& illibatus est,nulla cogit necessitas, uti Textum ipsum inspicienti constabit.

A. *Sed hoc Judæorum proterviæ dato (numquam concedendo) poterítne aliunde constare, vocem eo loci Virginem ex necessitate indicare?*

B. Facillimè, nam Virginem parituram Achazo prædicitur [a] *signi* vice, sive miraculi; quod si de nupta quavis, licet Adolescentulâ intelligendum esset, miraculum utique haud magnum sonaret. Adde quod Hebræis erat in more positum quam cito pateretur ætas matrimonia contrahere; proinde hic nihil ex illorum glossemate aut miraculi,aut novi.[a] *Is:*7.11,14.

A. *Nulli itaque nisi Mariæ* Χεισοτόκῳ *accommodari potest ista Prophetia?*

B. Certè nulli, si historiæ Evangelicæ fides. *Mat:*1. *Luc:*1.

A. *An verò parturientium more* naturali, *& ordinario Filium enixa est virgo?*

B. Sanè, aperto scilicet utero (invitis Pontificiis) ni illis malimus veritatis osoribus, quam Spiritui Sancto aurem præbere. *Luc:* 2. 22,23.

A. *Quid de perpetuâ Mariæ Virginitate censendum?*

B. Esse piè credibilem utpote Traditioni Catholicæ

Catholicæ consentaneam, nec matre Christi indignam, cum vero ne apicem sane unum eo pertinentem reliquit nobis sacra pagina, cúmque tanti non interesse Religionis videatur, de eâ silendum potius judicarem, quàm inutilibus liticulis Ecclesiæ pacem turbari.

Αειπαρθενίαν *istam Mariæ tanti jam olim fecit Ecclesia, ut contra sentientes Hæreticis accensuerit, quorum Fundator & Antesignanus erat Helvidius sub Theodosio seniore seculo quarto circa medium. Ejus autem Discipuli Helvidiani, Antidico Maritæ (Baronio Marianitæ) sive Antimaritæ, quibus ex adverso statim emersere Collyridiani, B. Virgini* κολλυρίδα *sive libum immolare soliti, honoris divini specie, qui fortasse Hæreticorum nigro adjudicari multo magis quam priores isti merebantur. De hac autem Mariæ perpetuâ virginitate vide si libet quæ libro singulari scripsi* ὁ πάνυ *Daillæus.*

A. *Quid tibi de Virginis immaculatâ conceptione videtur?*

B. Absurdum esse Scholasticorum aliquot inventum à mancipiis Papalibus Jesuitis eo, quo solent omnia sua agere, zelo (ceu furore verius) expolitum; cæterùm nulla scripturarum Authoritate, nullo veteris Ecclesiæ, aut vel unius Doctoris

antiqui ſuffragio munitum, ne Bernardo quidem excepto (qui inter Patrum noviſſimos cenſetur) nullâ demum ratione nixum, quin contra cum univerſis bellum gerens animoſiſſimum.

A. *Quibus adverſatur Scripturis?*

B. Planè innumeris, quæ docent[a] *omnes* & ſingulos in uno peccaſſe, nemine præter ἀνέρχωπον excepto,[b] mundum ex immundo prodire non poſſe, [c] quod ex Carne genitũ eſt, Carnem (ſive rem corruptam) eſſe; quin ipſa B. Virgo [d] in Hymno Deum agnoſcit ſervatorem ſuum. [a] *Ro.* 5. 12. [b] *Job.* 14. 4. [c] 3. 6. [d] *Luc.* 1. 47.

[*] *Pii 5ti.* A *Sed mirum eſt, eos qui ex Bullâ* * *Pontificia nullam debent evulgare doctrinam, niſi quæ Patrum communi ſtabilitur conſenſu, quique toties adverſus Reformatos Patrum crepant Authoritatem, Patribus ipſis nuncium remittere, iiſque tantâ ſententiarum conſpiratione ab altera parte ſtantibus.*

B. Mirum certe videatur, iis potiſſimum, qui Frontem, ingenium, & technas illorum nondum plenè explorarunt. Sed hoc illis ſolenne eſt, qui Patres & omnia pili faciunt, ubi cauſæ ſuæ minùs inſerviunt.

'Audiatur Dominicus Bannes part. 1. q. 1:

'q. 1. *Art.* 8. *Dub.* 5. 9. *arguitur* 2°. Com-
'munis inquit Sanctorum est Consensus
'B. Virginem in originali peccato fuisse
'conceptam, quorum nomina videre li-
'cet in Cajetano, opusc. de conceptione,
'specialiter apud magistrum Vandellum
'qui de hac re edidit longissimum tracta-
'tum, & tamen opposita sententia (*ad-*
'*verte*) non solum probabilis, sed & val-
'de pia existimatur in Ecclesiâ. Hæc il-
'le. Idem plane Turrecremata de Con-
'secr. dist. 4. Firmissimè. n. 11. Cortesius
'in Sent. lib. quem Julio Papæ nuncupa-
'vit, Vincentium quendam testes attulis-
'se refert 260 adversus Conceptionem
'immaculatam facientes. Quin Turrecre-
'mata se asserit 300 tales in numerato
'habere. Bonaventura, quem Turre-
'cremata Doctorem glorioſum vocat, vul-
'go Seraphicus. l. 3. *dist.* 3. *qu.* 2. in Con-
'clusione tum *Securiorem* tum *rationabili-*
'*orem* adversam pronuntiat sententiam.
'*Securior* inquit quia magis consonat fidei,
'pietati, & sanctorum Authoritati. Et
'mox, *communiter* sancti cum de materiâ
'illa loquuntur, Christum solum excipi-
'unt ab ista generalitate, qua dicitur, *Om-*
'*nes peccaverunt in Adam.* Nullus autem
'(adjungit) invenitur dixisse de his quos

 audivimus

'audivimus auribus noſtris, Virginem Ma-
'riam à peccato Originali fuiſſe immu-
'nem. Cui etiam ferè continuò ſubnectit,
'Etſi Mater habenda ſit in reverentia, &c.
'nullatenus ab hac generalitate exclu-
'denda eſt, ne, dum matris excellentia
'ampliatur, Filii gloria minuatnr, & ſic
'in illo mater provocetur, quæ magis vult
'Filium extolli,& honorari quam ſeipſam,
'utpote Creatorem creaturâ. Verba ab
'illo homine ſanè aurea: conſtat quidem
'ante D. Bernardi ſeculum ſub Ann:1136,
'de tali conceptione nihil auditum, cui
'tamen ille ſomnio vehementèr reſtitit
'adverſus Canonicos Lugdunenſes, quī
'illud officiis Eccleſiaſticis omnium primi
'obtruſerant: ſequenti ſeculo Doctores
'Scholaſtici utriuſque ordinis tam Fran-
'ciſcani quam Dominicani turpiſſimum
'errorem junctis viribus exagitarunt.Ann:
'1300. Joh: Scotus, Franciſcanus & Ipſe
'1° ut *poſſibilem*, dein, ut *probabilem* diſſe-
'minavit, ſed trepide admodum (ut vide-
'tur)cum enim tribus modis à ſe aſſignatis
'ſtatuiſſet potuiſſe Deum Virginem imma-
'culatam conſervaſſe,huc demum fluctuat.
'quod autem horum trium quæ oſtenſa
'ſunt, eſſe poſſibilia factum ſit,Deus novit,
'ſi autem Authoritati Eccleſiæ,vel Autho-

ritati

'ritati Scripturæ *non repugnat*, videtur
'probabile, quod excellentius est attribue-
're Mariæ, In 3. Sent: dist: 3.q:1.q:10.O
'subtilitatem Doctoris! utcunque tanti eo
'tempore nominis celebritas effecit, ut
'Ducem jam inde sequerentur Scotum
'omnes ferè Franciscani, reluctantibus
'haud minore vehementia sub auspiciis
'Thomæ Dominicanis. Mox tamen in
'Concilio Basil. vicit Franciſci Cucullus,
'tandémque Sixtus 4. (Franciscanus) sua
'multum Authoritate dementiam istam ad-
'juvit, conceptioni *Festo* ab eo peculiari
'consecrato. Seculo superiore sub Paulo
'5° & Gregorio 15°. res magis incaluit, eo
'usque ut solenni legatione ad utrosque
'per Ant: à Trejo Episc: Carthag: Philip-
'pus 4. Hisp: Rex vehementer urgeret ut
'finem imponerent Controversiæ, quæ Ec-
'clesiæ paci infensa videbatur. Nihil tamen
'aut hic aut ille aliud quam publicas al-
'tercationes & rixas prohibuit. De quâ
'legatione, & Re totâ, vid: lib: à Waddingo
'de legatione ista conscriptum in 4°. Res
'tandem ad Synodulum Oëcumen: Tri-
'dent: rediit, quæ vafrè admodum de con-
'silio Pontificis ardenti Prunæ manum mi-
'nimè admovendam censens nihil defini-
'isse videtur, nisi ut Sixti Bulla illibata

'ſervetur, ſeſſ. 5. ad fin. Hanc viſum eſt 'lectori (ſi quis forte minus intelligeret) rationem Hiſtoricam paucis attexere.

A, *Quid autem de aliis iſtis Virgini collatis Honoribus ſtatuendum, quo eam Chriſto ipſi ſupparem, ſi non ſuperiorem faciunt, Templa dedicantes, Vota nuncupantes multo ei plura quàm Filio unigenito Dei,*[a] *matrem eam gratiæ & miſericordiæ, mediatricem inter Deum, & hominẽ, Reginam Cæli, Deamq; appellitantes, ut imperet Redemptori ſupplicantes, omnia fere de Deo & Chriſto in* [b] *Pſalmis dicta ei (Scilicet?) accommodantes, uti ex illorum miſſalibus, Breviariis, Roſariis, Horariis, Pſalteriis, orbi univerſo ſatis ſuperque notum?*

'Quanta Filium Deum matris & Salvatorem veneratione Pontificii præ matre '(miſellâ olim, uti mortalium reliqui, 'peccatrice) proſequantur, etſi Cælum 'Terramque blaſphemiis ejuſmodi per 'tot ſecula impleverint, loquatur vel hoc 'unum quod ab Autoptâ viro ornatiſſimo, 'meo quondam Diſcipulo, G. S. Med. 'Doctore adhuc in Terris (uti ſpero) 'agente accepi, viz: in Cœnobio quodam 'Galliæ Diepenſi (ni male memini) ſupra 'portam cerni Imaginem B. Virginis, 'Chriſtum (uti ſolet) Infantulum altera manu

(a) *Vide Bonavent. in Opuſc: de Corona B: Virg.*

(b) *Vid: Pſalterium B: Virg: inter Bonavent: Opuſc quod etiam Examini ſuo intexuit Chemnitius.*

'manu tenentis, altera virgas vibrantis, 'cum hoc nimirum Symbolo, *Monstra Te* '*Esse Matrem.* Sed *absit credere quæ vide-* '*mus*, sitque mater & magistra omnium 'Ecclesia Romana tanquam *Baculus in a-* '*qua fractus*, uti falsè Quidam ex suis di-'xit.

B. Ista quidem omnia Blasphemiam sapiunt apertissimam, non pietatem Christianam. Huc autem Deus eos merito tradidit, ut alii mendacia cudant, alii credant, qui non obtemperant veritati. 2. *Thess.* 2: 11. 12. Verum

1° dicimus, pudere Beatissimam Virginem ejusmodi Honorum, (modo quales sint agnoscat) & toto pectore detestandas execrari blasphemias:

2° Christus ipse, dum in vivis uterque esset, quamvis parentibus morigerus, certò prævidens hanc insaniam, utque omnem ei occasionem præriperet, talem nullibi honorem matri exhibuit, usque adeò, ut sæpius ab eo compellata, ne semel quidem Matrem appellaverit, nedum *matrem Gratiæ*, *Reginam Cœli*, &c. imò interdum duriùs ad speciem alloquitur. *Luc.* 2. 48. 49. *Mat.* 11. 48. &c. *Joh.* 2. 4. *Joh.* 19. 26.

3° Nullam talem habere Jurisdictionem in

in Cælis F. Virginem vel ulla Scripturæ umbra indicat, aut à Paraſitis ullis collatam ſuſtinet. Fruitur quidem illa per Filium Redemptorem cæleſti Beatitudine, exultans & gratabunda, ſed ut *Domino* ſuo unico coronam aut abripiat, aut cum eo communem poſcat, tam putidi hoc ſacrilegii, in Sanctiſſimam ejus mentem nunquam venire potuit.

A. *Quo itaque fundamento nituntur boni viri in craſſâ iſta* Περιστολατρία *?*

B. Eodem, quo alii ſolent *Enthuſiaſtæ* (Pontificiorum [a] fratres Fraterrimi) ſuis ſcilicet ipſorum *Somniis, Viſionibus, Revelationibus*, & id genus nugacibus impoſturis; quibus non in hoc modo, ſed aliis pleriſq; Relig. ſuæ Articulis & fallunt & Falluntur ipſi. [a] *vid. Stillingfletum Tract. de Idolatria, Fanaticiſmo, & Diſſidiis Eccles. Rom. c.* 4.

A. *Quid demum habes de B. Virgine, Corpore Simul & Animâ in Cælum receptâ ?*

B. Aniles Fabulas, & ſuperſtitiones Pontificias, præterea nihil. 'Mirum eſt 'quam in hoc argumento ſe fruſtra vexa- 'rit * Analyſta Cardinalis, ita ut neſciat 'ubi pedem figat, niſi in illo Eccleſiæ ſuæ 'Traditionum palpitante luto. Quod e-

* *Ad An:* 48.

nim

‘nim ſtipendiarii præſto adſint Scolaſtici
‘(Homines nudius-tertiani)parum refert:
‘novimus enim illorum ingenia. Patres
‘quod jactat Græcos, & Latinos, paucos
‘admodum vel hujus generis vel illius ci-
‘tat :Ex Græcis quidem Euſebium, & Da-
‘maſcenum, illum in Chronico, his, inquit,
‘verbis, *Maria Virgo Chriſti mater ad Fili-*
‘*um in Cœlum aſſumitur, ut Quidã fuiſſe ſibi*
‘*revelatum ſcribunt.* Adverte, Lector, quod
‘hoc Baronianus Euſebius non ſuâ fide
‘dicit, ſed *Quidam*, inquit,(nullo hactenus
‘noti, neque unquam noſcendi nomine)
‘non *traditum*, ſed *revelatum* ſcribunt:
‘nonne hoc apertè Fanaticiſmum Roma-
‘num olet? ſed fucum, quo tota meretrix
‘iſta Pontificia incruſtatur, hoc loco fa-
‘cilè deterſit mihi ſemper amiciſſimus,
‘atque omni officiorum genere colendus)
‘Cl: BARLOUS, noſter Coll: Reg: Præpo-
‘ſitus, locum omnino ſpurium oſtendens,
‘neque in Græcâ Scaligeri Editione, neque
‘in Latinâ Amb: Nicræi, quin & Pontacum
‘in notis ad Editionem ſuam Burdigalæ
‘editis Ann: 1604. delendum pronuntiare.
‘videſis(ſi vacat bonas horas perdere)quæ
‘ſcripſit idem Baronius in Martyrologio
‘ſuo ex juſſu Gregorii Pontificis XIII. edi-
‘to in diem Auguſti 15. qui ſolet Aſſump-

tioni

'tioni iſti nugatoriæ dicari, in quo nihil
'ferè habet, niſi quod in Annalibus:
'neque tamen prætereundum eſt quod in
'Martyrologia Uſuardi, quo uſa eſt Eccle-
'ſia Romana, uti docet Inſcriptio, non Aſ-
'ſumptio legitur, ſed *Dormitio* B:V:M: quæ
'multum ſanè diſtant. Sed ad Baronium
'revertimur, proximè ab eo citatur Da-
'maſcenus, ſeculi octavi Scriptor, cujus
'quanti eſſe debeat Authoritas, ab ipſo
'aliunde diſcamus Baronio, ubi cum non
'*levem* modò, ſed *futilem*, *vanum*, & *menda-*
'*tiorum pleniſſimum* aliquando *S*criptorem
'eſſe pronuntiat. Euge præclarum Fidei
'Rom: teſtem! Nicephorus quoque Calli-
'ſtus adducitur, quanquam non inter Pa-
'tres ſeculi nimirum decimi quarti Scrip-
'tor, idémque mitiſſimo etiam Judice Ca-
'ſaubono, *vaniſſimus*, *futiliſſimus*, *fabuloſiſ-*
'*ſimus*, &c: & mox, cui ipſe Baronius, quo-
'ties animum intendit, fidem omnem ab-
'rogat. Exercit: 1. ad Baron: c: 12. nonne
'riſum meretur ornare quenquam Teſtes
, ſuos talibus Elogiis? Ex Latinis habemus
, præter Bedam qui ſub finē ſeculi ſeptimi
'floruit, Gregorii *Sacramentarium*, quem
'Librum me fateor nondū vidiſſe, neq; ex-
'tat eo nomine in operum ſuorū Catalogo
'quem præ manibus habeo; Extat tamen
alicubi

'alicubi uti vir Cl: ante memoratus mihi 'retulit .Gregorius quidem Pontifex fuit 'minimè malus, ſed neque inter optimos 'numerandus, & ab eo ſemper pejores: 'vixit utcunque 600. annis & ampliùs 'poſt natum Chriſtum, neque ante eum 'quiſquam (ſi Ille tamen) de hac B: Vir-'ginis Aſſumptione certæ Author Fidei 'quicquã retulit, quod ex antedictis con-'ſtare arbitror. Judicent fermento Pon-'tificio non inquinati, præſertim Baronio 'Cauſæ Pontificiæ & juratiſſimo, & di-'ligentiſſimo omnium Patrono, nihil ali-'ud habente quod dicat.

Art. 4. *Paßus.*

A. *Cum toti Evangelio renunciet neceſſe eſt, quicunque Chriſtum multa in carne indigna ad mortem uſque perpeſſum neget; quænam tamen huc rectá collimarunt Inſtrumenti veteris Prophetiæ?*

B. Chriſtum habemus ipſum omni majorem exceptione Teſtem, Prophetas omnes de ipſo, ſpeciatim quoque de *Paſſuro* locutos eſſe, *Luc.*24,25,26,27. *Et. c:*18.31.

A. *Cedo aliquot ex iſtis Prophetiis.*

B. De hoc apertiſſimè agitur toto Iſaiæ, cap:53. quod ad alium quemvis accomodare nimis Judaicum eſt, certè in ullo Homine

Homine Christiano vix satis consultum.

A: *Multa tamen in Scripturis dicta sensu* mystico, & sublimiore *Christum respiciunt, quæ* ἰσῶς & *sensu literali ad alios quoque pertinere constat, uti ex* Matt:2.15.23.& alibi sæpius.

B. Verissimè, sed mortalium nemo istius Prophetiæ vel quoad literam sustinendæ sublimitati par est. Nemo iræ Divinæ adversus peccatores *onus*[a] *pertulit* præter Filium unigenitum Dei, nullius *vibicibus* sanati sunt, nullius *cognitione* salutiferâ[b] Justificari queunt, nisi unius Christi. [a] *Is:* 53.4,5,6. [b] *v.*15.

A. *Etsi post hoc clarissimum Prophetæ Evangelici testimonium novis videtur nihil opus esse, proferatur tamen si habes aliud.*

B. Extat luculentissimum. *Dan:*9.26.ubi de tollendo ob aliorum delicta Messiâ (nominatim) Prophetæ loquitur missus è cœlo Angelus.

A. *Sed de temporum supputatione dissentiunt Interpretes.*

B. Haud magna est discrepantia, sive Terminum *à quo*, sive *ad quem* respicias, palam est de Messiâ solo in Carne jampridem manifestato intelligi oportere.

Vide quæ (inter tot alios) de hoc Argumento diligenter, & doctè scripsit Conrad.

rad. Pawellus in Consil. suo Chronologico, scopulo (uti vocat) decimo, qui initium Hebdomadum figit in ann. Vicesimi Artaxerxis Longimani; Et finem in Cruce Christi.

A. *Num etiam Typi isti de* [a] *bestiis indies immolatis,* [b] *Agno potissimum Paschali,* [c] *Serpente æneo aliisque id genus eo respexerunt?*

B. Planè, uti N. Test. passim testatur Scriptura. [a] Heb. 10. ad v. 15. [b] 1 Cor. 5. 7. [c] Joh. 3. 14.

A. *Hanc autem Passionem sustinuisse Christum in humanâ tantum naturâ intelligis.*

B. Omnino, ut in *Subjecto proprio*, quanquam sustinendi *vim* accepit victrices à divinâ. 1. Pet. 3. 18.

A. *Sed num in corpore tantùm, an in animâ quoque?*

B. Imo & omnium gravissimos (supra quam verbis dici possit humanis) angores expertus est in animâ, sed sine peccato. Mat. 26. 37. 38. Et cap. 27. 46. Mar. 14. 33. Nec certè Christo dignum erat ad mortem duntaxat *corporalem*, etsi acerbissimam, usque adeo expavescere (quam etiam malefici interdum tantâ animi præsentiâ excipiunt) nisi ex ira Dei in peccata, quæ sustinuit Vicarius a culeatam, quæ sanctissimam ejus animam

nam plagis & verberibus iſtis mirum in modum lancinavit.

A. *Unde hæc omnia perpeſſus eſt Salvator mundi?*

B. Ex æterno illo inter Patrem eúmque inito[a] conſilio, ſimul & pacto, utque ita miſeris peccatoribus infinitæ tum Juſtitiæ, tum miſericordiæ[b] amplexibus via ſterneretur, Sicque[c] mediator qua talis unà cum[d] populo ſuo (Fidelibus univerſis) tranſiret in Gloriam. [a] Act. 4. 27. 28. Heb. 10. 5. 6. 7. [b] Pſalm. 85. 10. Iſ. 53: 11. [c] Luc. 24. 26. [d] Eph. 2. 6. Joh. 17. 19. 26.

A. *Quid hinc diſcunt Fideles?*

B. In primis pio de peccatis dolore diſcruciari, ut quæ Dominum vitæ magis quam cruentæ Judæorum manus occiderint. Iſ. 53. 5.

2°. Chriſtum ut *Fidelem* & *miſericordem* ſacerdotem, quique *Senſum* habet infirmitatis noſtræ conſtanter intueri, maximè cum Peccatorum eos premit & mordet ſenſus. Heb. 4. 15. 16.

3° Patientiam & Fortitudinem in hac vitæ palæſtrâ, ſtadioque ad finem uſque exercere, contemplantes Chriſtum. Heb. 12. 2.

Vltimò, omnem ei amorem & obſequium ad vitæ finem perſolvere, nec illius

lius gratiâ acerbiſſima quæque, imo nec mortem ipſam refugere. 1. Cor. 6. 20. Act. 21. 13.

Art. 4. *Sub Pontio Pilato.*

A. *Quid Hominis erat iſte P. Pilatus?*

B. Præſes ceu potius [a] Procurator Judææ, ſub Imperatore [b] Tiberio, cui etiam tunc temporis jus Gladii indultum, à Judæis ipſis Archelao Viennâ relegato, [c] ſubblatum. [a] Ita Tacitus appellat, *Annal.* 15, [b] *Luc.* 3. 1. [c] *Joh.* 18. 31.

'Falluntur indubiè, qui Judæis volunt hoc 'tempore Capitalia remanſiſſe Judicia, ea-'que tantùm ob ſolennitatem Paraſceves 'eo die repudiata, quaſi vetita in Feſto 'lege Moſaica: cum potius rebus mino-'tioribus Reip (ceu malis Eccleſiæ) ſuæ 'gradu aliquo præ eſſent. Quamvis enim 'nonnullos è medio ſuſtuliſſe, etiam præ-'unte aliquoties Synedrii ſententiâ, Hi-'ſtoriæ illorum teſtantur, id tamen (in-'genito illis) impetu populari factum 'conſtat potiùs quam ullâ authorita-'te legitimâ. Politicis interim rationi-'bus ducti connivebant, interdum Præ-'ſides.

A. *Quorſum iſta de Procuratore Pilato adjuncta eſt in Symbolo Circumſtantia.* B.

B. Permagni refert, idque

1°. ut de tempore saltem constaret mortis, quod Judæi tricis suis implexum reddere conantur, quo totius Historiæ (modò id possint ὠμοκατάκριτοι, debilitetur Fides.

'Mirum est quod prodidit Irenæus *l.* 2. c. '39. seniores videlicet Asiæ omnes ex ore 'B. Johannis (cujus discipuli fuerant) & 'aliorum quoq; Apostolorum, ei retulisse 'Salvatorem fere *quinquagenarium* prædi-'casse Evangelium: quod neque Scripturæ 'patitur, neque Pilati Chronologia, 'qui haud multis post annis, ineunte sci-'licet Caii Imperio sibi displicens, suæque 'Sortis impatiens propria sibi manu mor-'tem consciviť, uti testatur Eusebius in 'Historiâ. Imo c. 40. Judæos ad se testes ra-'pit, ex *Joh.* 8. 57. ubi cum Christus Abra-'hamo grandiorem se dixerat, ita oblo-'quuntur Judæi, Tu nondum es quin-'quagenarius, &c: verùm hic, uti rectè 'Grotius Liberaliùs agunt, quo falsi '(si fieri posšit) facilius Convincerent 'ad Jubileum fortasse respicientes, quod 'quinquagesimo quoque Anno ex lege ce-'lebratum est, quasi dixissent, tu nondum 'semisecularis es, quis ergo Tu, qui te æ-'tate Abrahamo confers? vult tamen Chry-'sost. pro 50. legendum 40, ad quod insu-

ter

'per ætatis acceſſiſſe Chriſtum aſſerit. Ve-
'rùm etſi facilis lapſus eſſet à numerali
'μ ad ι (ita enim antiquitus iſta ſæpè nota-
'bant Librarii) non eſt tamen à conſenti-
'ente Exemplarium Fide temerè diſce-
'dendum. Sed fortaſſe Irenæus à Papia de-
'ceptus eſt, exigui ingenii viro (quod mo-
'nuit Euſebius) aut ab aliis Senioribus, qui
'Apoſtolos malè intellexerant, niſi cum
'Fevardentio malimus ſervori contra
'Gnoſticos errorem tribuere, qui Chri-
'ſtum An: Tiberii decimo quinto, & æta-
'tis trigeſimo Paſſum mentiebantur,
'cum quibus tamen facit Tertullian l. ad-
'verſus Judæos. Meliùs proculdubio do-
'cuit Ignatius Polycarpi (qui & Johannis
'Apoſtoli) Diſcipulus, Epiſt: ad Tralliа-
'nos, Chriſtum ſcilicet anno triceſimo
'baptizatum (uti Lucas c. 3. 23.) & tribus
'annis prædicaſſe (ita ſcilicet ut quartum
'minimè attingeret) in quo omnes ferè
'docti nunc dierum conſentiunt. Hinc
'interim diſcamus Patres, etiam qui bar-
'baræ Inquiſitionis tyrannidem evaſere,
'non ſine gravi cautelà & judicio legen-
'dos, præſertim à Junioribus. Neque
'demum à Suetonio nobis metuendum eſt
'in vita Claudii ubi ſcribit, quod Judæos
'impulſore Chreſto (ita vel ridens vel

 'ignorans

'ignorans Salvatorem vocat) tumultu-
'antes urbe Imperator iſte expulit. Per
'Judæos autem, monente Lipſio, Chriſtia-
'nos intelligit, quos (non dubito) ex Fide
'tantum invidiæ publicæ tumultuatos ait,
'quanquam, ut fit, alia confingeretur cau-
'ſa. Quin ſive Chriſtianos (quod malim
'ego) ſive veros & Gentilitios loquatur
'Judæos, nulla hic fides habenda Suetonio
'gravi aliàs, & diligenti Hiſtorico) tum
'quod erga utroſque odio flagrarent Ro-
'mani Scriptores, tum quod in ſumma re-
'rum iſtarum ignoratione (per contemp-
'tum puto Religionis) verſarentur, cui
'Fidem quoque facit inter alios. *Corn: Ta-*
'*citus, de Chriſtianis, Annal. l.*15.*de Judæis*
'*Hiſtor: l:* 5.

2° Nominatur Pilatus, quia tam inſigne toties innocentiæ Chriſti, quem nihilominus ſupplicio affecit, [a] teſtimonium perhibuit, unde ſe Judex damnavit potiùs quam Reum. [a] *Mat:*27.24. *Luc:* 23.22.

3° Procuratorem (ſaltem in genere) nominari oportuit, ut de mortis genere [a] Typorum, & [b] Prophetiarum conſtaret veritas, quod etiam ſignanter notavit Evangeliſta, [a] *Joh:*18.32. *Joh:*3.14. [b] *Pſal:* 22.16. *Zech:* 12.10.

A. *Quid hùc contulit à Procuratore damnari?* B. Per-

B. Permultum; 1° quia ſolis Romanis in uſu erat Crucifixio, proinde ſi penes Judæos fuiſſet Chriſtum morte multare, alio genere periiſſet, ſicque irriti cecidiſſent Typi & Prophetiæ.

2° Ut qui pro nobis maledictio factus eſt, mortem pro nobis ſubiret, non modo acerbiſſimam, verum etiam maximè ignominioſam, pariter ac [a] maledictam. Hoc enim ſupplicii genere in obſcuros tantum, & viles homunculos animadvertiſſe Romanos notiſſimum eſt. [a] *Gal:*3.13.

Art. 4. *Crucifixus.*

A. *Dixiſti modo Crucifixionem Chriſti Typis legalibus, & Prophetiis adumbratam (de qua totum adeò perſonat Evangelium) eámque infamis ſimul, & peracerbæ mortis fuiſſe ſpeciem, nam ibi tres ſaltem horas in cruce pependit, ubi autem ſupplicium iſtud perpeſſus eſt Chriſtus?*

B. In monte Calvariæ, Syris Golgotha, quod locum cranii ſignificat, interprete Evangeliſta, *Mat:* 27. 33. (ſive à forma, ſive à decollatis ibi corporibus.)

A. *Ecquid inde notandum velis?*

B. Maximè, 1°, Sacrificium hoc Chriſti fuiſſe *Expiatorium*, cujus illud [a] ſub lege

ſic dictum inſignis Typus extitit (qualis & ſummus Pontifex) offerentis ſe in cruce Chriſti. [a] *Levit*; 16.

A. *Oſtende quomodo.*

B. 1° Quod tunc temporis ingrederetur Sanctum Sanctorum. *Levit:* 16.3. collat: cum *Heb*:9.12.

2° Quod ipſe ſolus. *Heb:*9.7. *Iſ*:63.3.

3° Quod ſemel tantùm in Anno. *Exod:* 30.10. *Heb.*9.28.

4° Quod Sacrificio (vitulo ſcilicet & hirco) epulandum (uti in aliis) non eſſet, ſed totum Deo in [a] *Holocauſtum* offerendum, priùs tamen *extra caſtra* portatum. Hic itaque Typo cum Anti-typo præclare convenit: ita enim Chriſtus *extra* [b] *caſtra*, i. e. extra civitatem oblatus eſt. [a] *Levit:* 16.27. [b] *Heb:* 13. 13.

A: *Quid vis præterea ex loco ubi crucifixus eſt Chriſtus?*

B. 1° Infâmem fuiſſe ob ſupplicia ibi uſitatò conſtituta, quod etiam facit ad ignominiam crucis, illic enim duo latrones crucifixi erant. *Mat:*27.38.

2° Pulchrè reſpondet Iſaaco typo: qui una cum *lignis* quæ portabat, immolandus erat in monte [a] Moriæ, non procul ab eo quo paſſus eſt Chriſtus. [a] *Gen:* 22. 2.

A. *Quo tempore crucifixus eſt?*

B. Om-

B. Omnium ſolenni maximè, nimirum Paſchali, quo tum Judæi, tum Proſelyti Gentium undequaque confluxere, ut proinde teſtatior eſſet Paſſio.

A. Qua autem diei horâ?

B. Nonnulla eſt ad ſpeciem diſcrepantia inter Evangeliſtas, quæ interpretes admodum vexavit, atque etiamnum vexat: ſed primò *Matthæus de *horâ* crucifixionis nihil habet, ſed tantum de tenebris, ſeu Eclipſi Solari, cum quo nihil obſtare video quin Lucas omnino conſentiat. c. 23.46. *c.27.16.

A. Itaque de Marco, & Johanne præcipue lis eſt, Marcus enim ſcribit horâ tertiâ *crucifixum, Johannes horâ* quaſi ſextâ. *Mar:* 15. 25. *Joh:* 19.14.

B. Ita eſt: ſi verò concedatur, (quod à Doctis ferè fit) Judæos in 4. partes diſpeſcuiſſe diem artificialem, quarum quæque 3 integras horas complecteretur, nihil videbitur remanere difficultatis: ſic enim quod factum eſt horâ *tertiâ*, i. e. inter nonam & duodecimam, fieri potuiſſe quaſi ſextâ nihil impedit, i.e. ferè duodecimâ, quâ Chriſtus crucifixus eſt, & horâ nonâ, i.e. ante, vel ſub tertiam pomeridianam animam efflavit.

A. Quæ colligis ex hac crucifixione Chriſti documenta?

B. Eum ſcilicet doloris nihil, aut infamiæ (mundo judice) refugiſſe, quo coronam gloriæ peccatoribus lucrifaceret, proinde [a]exultandum in cruce Chriſti(i.e. in crucifixo) nec ulla non ſubeunda [b]pericula, contumelias, & cruciatus illius gratiâ. [a] *Gal:*6.14. [b] *Act:* 21.13. 1 *Cor:* 4. 9. ad 14.

Art. 4. *Mortuus.*

A. *Num Chriſtus verè mortuus eſt, per ſeparationem ſcilicet Animæ & Corporis?*

B. Nihil manifeſtius; nam & Animam tot, tantiſque cruciatibus imparem (naturaliter) efflavit, & ſpiritum Deo reddidit, uti Evangelica ſatis teſtatur Hiſtoria, nec aliter factus eſſet *ſimilis nobis in omnibus, excepto peccato.*

A. *Potuit vero, modò tuliſſet animus, non mori?*

B. Planè, quippe qui præſtò habuit ad nutum ſuum pluſquam duodecim Legiones Angelorum, cuique non tam vi rapta Anima, quam ultrò ad tempus depoſita, hinc & altâ voce animam agens clamavit. *Mat:*26.53. *Joh:* 10. 18.

A. *Cur itaque mori voluit?*

B. 1° Ut implerentur Scripturæ, quæ ità fore

fore nullibi pœnè quà verbis, quà typis, non prænuntiarent, *Mat:* 26.54. *Luc:* 24, 25, 26.

2º (Quod ante diximus) quia ſine effuſione ſanguinis nulla futura eſſet remiſſio, útque ſatis Legi fieret interminanti mortem peccatori, [a] λύτρον hoc erat Juſtitiæ Divinæ perſolvendum, & vitæ noſtræ Mors Chriſti [b] merces, uti paſſim Scripturæ. [a] *Mat:* 20.28. [b] 1 *Cor:* 6.20. vid: Enchirid: cap: 7.

A. *Quid hinc diſcendum?*

B. Ut ſicut Chriſtus ob peccatum mortem pertulit, [a] nos quoque *peccato moriamur, & vivamus Deo*, ut [b] *ſive vivimus, ſive moriamur, Chriſti ſimus*; ne denique mortem pertimeſcamus, illius morte [c] ſanctificatam, potentiâ devictam, extractóque aculeo, inermem. [a] *Rom:* 6. 12. [b] 14. 8. [c] 1 *Cor:* 15, 55. *& c: Heb:* 2. 15:

A. *Quid mortem Chriſti proximè inſecutum eſt memorabile, dum in Cruce adhuc penderet?*

B. 1º Quod oſſa ejus fracta non eſſent, uti aliorum omnium, qui iſto afficerentur ſupplicio; hinc enim verum ſe Agnum Paſchalem demonſtravit, qui nos ab Angelo deſtructore immunes præſtat, 1 *Cor:* 5.7. collat: cum *Exod:* 12.13.46.

2º Quod mortuo latus lanceâ militari apertum

apertum sit, aquâ statim & sanguine ubertim exiliente, quod & verè mortuum ostendit (tacto nimirum *pericardio*, unde fluxit aqua) simúlque docet quod quos sanguine justificat, eosdem & Spiritu suo ab operibus malis (sive carnis) abluit 1 *Joh*: 34, 5.8. *Rom*: 8. &c:

Art. 4. *Sepultus*.

A. *Cur eodem die & mortuus est Christus, & sepultus,* [a] *cum Romanis in more positum esset, quos in crucem egissent, animalibus carnivoris, cælique injuriis ibidem exponere?*

[a] de hoc vid: doctiss: Piersonum, in Art: 4.

B. Hoc scilicet Lex ipsa jussit Mosaica. *Deut.* 21, 22, 23. Instabant autem apud Pilatum, qui crucifixêrunt, Judæi (hoc uno quidem, sed ingratiis humani) ut corpus tumulandum auferretur, quò nihil fieret, aut Legi adversum, aut quod summam & Paschæ, & Sabbati concursuram solennitatem quoquo modo dedeceret. *Joh*: 19. 31:

A. *Quid autem indicat Christi Sepultura?*

B. 1° Verè mortuum fuisse, præcipuè cum in Sepulcro tamdiu jaceret, non enim condi humo (saltem ab amicis) quibus vitam inesse, aut minimo possit indicio

colligi

colligi, aut morâ ullâ ſperari.

2° *Sepeliri*, fundum erat immenſæ voraginis, ſive ſtatûs humiliati, in quem noſtrâ ſe cauſâ demerſit Chriſtus æternùm glorioſus. Hoc enim erat non ſolum quaſi victum, ſed captivum quoque ad tempus teneri, quanquam & Mortis ipſius *mors* eſſet, & ſepulchri *Sepulcrum*. *Hoſ:* 13. 14. *Act:* 2. 24.

A. *Ecquæ erant circumſtantiæ notabiles ad ſepulturam præparatoriæ?*

B. Imò binæ: 1ª quod crucifixus, & mortuus agnoſceretur, tum à Joſepho, tum à Nicodemo, ª ſummi utriſque apud ſuos loci, quique ejus fuerant (etſi ob metum Judæorum clandeſtini) Diſcipuli, quorum alter ᵇ inhumandum petebat à Pilato corpus, alter aromatis condiendum curavit. ª *Mar:* 15.43. *Joh:* 3.1. ᵇ *Joh:* 19.38. *& c.* 3.2.

A. *Quid inde vis?*

B. Inſigne ſcilicet utrorumque Fidei, & Jeſu innocentiæ teſtimonium, quod etiam in Joſepho ſignanter notavit Evangeliſta, quem *fidenter* ait Pilatum adiiſſe, *Mar:* 15. 43. quò magis obſcuratus erat morte ſuâ Chriſtus, magis in eum eluxit illorum pietas, quo & nullum ei teſtimonium illuſtrius dari potuit, Diſcipulis omnibus, imò & Apoſtolis metu crucis aufugientibus

bus [a] unâ Mariâ, matre-virgine, cum Johanne ad crucem adſtantibus, etſi aliæ quoque fœminæ eminùs ſpectarent: poſtque ad curam pollincturæ acceſſerint. [a] *Joh:* 19. 26. de reliquis conſule Hiſtor. Evangel.

A. *Dic alteram circumſtantiam.*

B. Ea eſt quod Amici corpus mortui [a] ceratis involverent, quaſi adhuc vacillaret eorum de Reſurrectione Fides; quippe linteis adeò glutinoſis infixum difficillimè ſe expedire poſſe haud ignorabant; Hoc quoque ad amplificandam reſurrectionis gloriam haud parum confert. [a] *Joh:* 19. 40.

Hunc modum funerationis Judæi ſine dubio ab Ægyptiis hauſerant, ſic enim aromatibus in Ægypto conditum erat Joſephi cadaver Gen: 50. 26. *morem Ægyptiacum prolixè ſatis deſcripſit Herodotus in Euterpe, ubi inter alia corpora inhumanda, gummi illita* (*quo & vice glutinis uſos eſſe*) *prodidit;* ὅσοι χλιόντες τὸ κέμμι, τῇ ἔνι κόλλης τὸ πολλὰ χρέωντες ἀπὸ τούτου. *Sed & myrrhæ meminit, quod in Chriſti ſumeratione Evangelium; Græci* ἐνταφιασμὸν *vocant & τὸ χρῖσμα à conditis hoc ſalſamentis, inflexo ſignificatu. Idem & σινδὼν aliquando, notante etiam Druſio in* Gen: 50. *qui & ſuſpicatur* [ἀπὸ] *ita poſſe in Symbolo aſſumpari, & mihi quidem valdè placeret conjectura*

jectura, ſi antiquiſſima non vetarent Symbola, in quibus nulla tunc eſſet ipſius ſepulturæ mentio, quæ in tali Confeſſione Fidei minimè prætermittenda.

A. *Quid Chriſtus ſepultus (quod ad praxin) docet?*

B: 1° Ut *Conſepulti* ſimus ipſi peccato, nè majus in nos (quantum ſanè in nobis ſitum fuerit) exerceat Imperium, quam exercere ſolet in mortuos, & ſepultos. *Rom:* 6. 4. 12.

2° Ne à (domo caliginis) ſepulchro nobis metuamus, quod ſepulturâ ſuâ Chriſtus in [a] *cubile* vertit, ídque (licet umbroſius, quod nunc lex naturæ poſtulat) [b] gloriæ Propylæum fecit. [a] *Iſ:* 57. 2. [b] 2 *Cor:* 5. 1.

Act:

Art. 5. *Descendit ad Inferos.*

Græcè, κατῆλθεν εἰς Ἅδου.

A. *Quem putas sensum huic Articulo* affigendum?

B. Ecclesia Anglicana (quæ sua erat in omnibus sapientissima moderatio) prævit hìc nobis exemplo suo, ne quicquam dogmaticè statuamus, contenta rem Fidei simpliciter proponere, *Art.* 3. Interim siqui Christum volunt, aut propriè *triumphos* agentem (in statu qui erat summæ [a] humiliationis) aut Patres è *Limbo* liberantem (qui jam erant in [b] sinu Abrahæ) aut denique damnatis ipsis [c] Evangelium *prædicantem*, fateor me nondum ea capere.

[a] *Act:* 2.27. *Rom:* 10.7. [b] *Luc:* 16.22. [c] *Mar:* 8.44.

Neque ullâ ratione nititur, ut qui missus non fuerat nisi ad perditas oves Israelis (exclusis in universum Gentibus) infælicibus istis, in Gehennâ, animabus Evangelii gratiam porrigeret.

'Mirum sanè est quàm in diversa abeant 'de hujus Articuli sensu Theologi. Nos ea 'tantùm quæ ab omnibus concedi possint, 'aut debeant sub aspectum dabimus, suis cujusque

'cujuſque legibus relicto aliorum arbitrio.
'Et 1°, quod ad ipſum ſpectat Articulum,
'nemo eum opinor terminis, uti loquun-
'tur, terminantibus, in ullo Græco, Ro-
'mano, Africano, publico, privato, fatente
'ipſo quoque Ruffino in Expoſit: Symbol:
'inveniet ante annum à Chriſto nato pro-
'pè quadringenteſimum, Ruffino ſcilicet,
'& Hieronymo florentibus. Quin & qui
'Auguſtini nomen mentiuntur, Lib: de Fi-
'de & Symbolo, Sermones de Tempore,
'123, 125. brevem reliqui totius Symboli
'expoſitionem continentes, de deſcenſu
'altum ſilent. Adde (quod in Præloquio
'monuimus) in Symbolo non reperiri *A-*
'*thanaſiano*, niſi ſenſu quo *Sepulturam* ex-
'primit, in *Nicæno* omitti prorſus, quod
'tamen unum in ſuâ Fidei confeſſione Pa-
'tribus Tridentinis recitare viſum eſt,
'Seſſ: 6. Sed de totâ hac materiâ vid: Ju-
'ſtellum in Concil: Afric: Edit: in 8° Pa-
'riſiis, Anno 1614 p. 13. & pluribus Reve-
'rend: Peirſonum.

2° Vox Ἅιδης apud Scriptores externos,
'(ſive Gentiles) duo omnino ſignificare
'videtur: 1° Plutonem ipſum, πίτνα τῷ μὲ
'Ἀιδῆς, Heſiod: in Theogon: aut 2° δῶμ' Ἀίδαο,
'Homero; domum Plutoniam, Flacco;
'aliis Orcum, Tartara, &c: utroque ſenſu

ſic

'ſic dictus quaſi ἀ-ϝειδής, uti Suidas & He-
'ſychius, extra viſum aliquod & in obſcu-
'ro poſitum, ita ut ubi ſit, ignoretur. Ἅιδης
'autem pro domo iſtâ Plutoniâ ſumptus
'*Animarum* ſemper (ut puto) non corpo-
'rum locus eis dicitur, unde neque apud
'ipſos unquam pro *Sepulchro* capitur. Nam
'corpus defuncti ἐν Ἅιδῃ condi duriùs ſona-
'ret, & mihi quidem ſatis diſtinxiſſe Poë-
'tarum Pater videtur, initio Iliad:

Πολλὰς τ' ἰφθίμους ψυχὰς ἀϊδι προϊαψεν
ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.

'Animæ ſcilicet ad Ἅιδην detruſæ erant,
'cadavera canibus objecta. Locum itaque
'& ſtatum Animarum quæ corporibus va-
'ledixerunt, (ubi, ubi, aut qualiſcunque
'fuerit) deſignat Ἅιδης. Idémque paſſim
'apud priſcos quoque Scriptores Eccleſiæ
'notat, locum videlicet & ſtatum mortuo-
'rum, ſive boni fuerint [a] qui ſuperiorem incolere dicti ſi-
've mali, qui inferiorem; utrum-
'que *Adyti*, *Cavernæ*, *Receptaculi*,
'& ejuſmodi nominibus reddi-
'dere Latini. Hebraico שְׁאוֹל
'reſpondet, quod ab inexplebili voraci-
'tate nomen habet, ſemper enim in illius
'gulam deſcenditur, neque unquam tamen
'clamare auditum, *Jam ſatis eſt.* Duo au-
tem

(a) Tertull. l. 4. adverſ. Marcion. c. 34. *Eam itaque regionem ſinum dico Abrahæ, etſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen Inferis (quanquam hoc inter Tertulliani Paradoxa numerari queat.)*

'tem ſignificare volunt Linguæ Magiſtri,
'ſepulchrum ſcilicet & Infernum. Ego ſa-
'ne nullibi puto in Scripturis ſepulchrum
'definitè i. e. nullius Hominis ſingularis
'exprimere, ſed indefinitè tantùm, & modo
'generali, quemadmodum *Prov.* 30, 16. *Iſ.*
'5. 14. Cum enim toties occurſet ſepul-
'chrorum ſingularium mentio, nunquam
'certè ut ea ſignificet invitatur שאול, aut
'ἅδης, ſed prioris vice קבר aut קבורה à קבר
'ſepelivit. Unicus obſtare locus videtur,
'*Act.* 2. ex *Pſalm.* 16. ad reſurrectionem
'Chriſti accommodatus, *non derelinques ani-*
'*mam meam* εἰς ἅδην, Hebr: לשאול, quod mul-
'tò inſignes Theologi de Sepulchro inter-
'pretantur, Animámque primò, Chriſtum
'ipſum Synechdochicè ſignificare, ſecundò
'non *totum*, ſed (altera Synechdoche) *par-*
'*tem*, i. e. Corpus. Sed hæc interpretatio
'& paullo violentior videtur, & nullâ
'(quantum ego opinor) neceſſitate adhi-
'bita. Res ſanè eadem toto commate de-
'ſignatur, nimirum *Reſurrectio Chriſti*, quæ
'fieri non potuit niſi per novam Animæ
'cum corpore conjunctionem: proinde &
'hoc illam diſtinctè nominari nihil mirum,
'*Corpus* in ſepulchro, *Animam* (licet in Pa-
'radiſo, tamen) εἰς ἅδην, utpote *mortui* ani-
'mam non viventis. Cum verò corpus ſanc-

ab

tiſſima

'diſſima reliquit anima certa poſt biduum
'redeundi, ſicque Chriſtus è mortuorum
'numero æternum eſſet eximendus, ideò
'cygnæam hanc cantionem per Prophetam
'canit, *Non derelinques Animam meam* (etſi
'ad tempus) futuram in *ſtatu mortuorum.*
'Hìc tamen occurrendum eſt objectioni:
'nam ſic, inquiet aliquis, nullæ neque San-
'torum animæ derelinquendæ ſunt, quippe
'aliquando iterum conſociandæ corpori-
'bus. Sed reſponſio facilis eſt, Sanctorum
'animas denuo corporibus multò ante in
'pulverem redactis uniendas, at Chriſti
'corpus per omnia integrum, & brevi quo-
'que tempore, ſecundum Scripturas. An
'שאול locum quoq, damnatorum ſignificet,
'perpauci, credo, niſi qui rem ipſam no-
'lint, in dubium vocarunt. Ne multi ſi-
'mus, ita ſumi ratio poſtulat. *Pſal.* 9. 17.
'ubi dicitur, quod Impii abigendi ſint
'לשאולה, ubi non malè monuit
'Ainſworthus duplicari ſignificationem
'ab ה finali, terminum motus ad quem
'notante, & ל initiale (quod idem ferè
'valet) præter morem ſenſus vim intende-
're. Hoc autem & majus aliquod quàm
'ſepulchrum reſpicere videatur, imò de
'pœnis poſt hanc vitam interpretantur
'Rabbini, teſte Grotio in loc: Sic & in

parabolâ

'parabolâ, *Luc:* 16.23. De divite illo immiti dicitur, quod fuerat ἐν Ἅδῃ, ídque 'βασάνοις ἐν βασάνοις, inter cruciatus & tormenta, quod nisi de loco Damnatorum 'exponi commodè non potest, frustra enim erit (modò talis hæc fuerit) qui ex 'parabolæ genio subterfugium quærit, 'verè enim dictum est *parabolam omnem* 'fundari in historiâ, & risu potius quàm 'reverentiâ loquentem de ἅδῃ βασάνοις ad ca'villa proni excepissent Auditores, si tales 'nullos fuisse cruciatus credidissent ipsi, 'imò nisi ad rem uti præsentem & sibi cog'nitam respexisset Christus, quorsum pro'lepsi aliquâ ante tempus exponeret? 'Restat itaque vocem Ἅδης in Scripturis 'usurpatam significare, 1°, statum mortu'orum; ídque multò frequentissimè: 2° se'pulchrum, sed indefinitè tantùm, & uni'versalitèr: ultimò, infernum. 3° Certissi'mum est animam Christi corpore egres'sam in Paradisum illicò receptam. *Luc:* '23. 43. Hoc autem de Loco Damnatorum 'interpretari, profectò vis est; quid enim 'cum eo commune habet Paradisus, quem 'tanto chasmate ab eo longissimè dissitum 'pronuntiavit in Parabolâ Abrahamus? '*Luc:* 16. 26. Sed hisce in genere delibatis, unicuique per me liberum esto super

'totâ materiâ judicium, modo Fidei Ana-
'logum, contra quam, uti venerandus
'Pater Hipponenſis, pius nemo loquitur.

A. *Quæ tua ſit ſententia de hoc Articulo nondum capio.*

B. Nihil definiente Eccleſiâ aliquid certo definire vix tutum eſt, aut ſobrium. Hoc interim cenſeo (bonâ cum Doctiorum veniâ) antiquitùs idem prorſus quod ſepulturam notâſſe (quod ex Symbolis Athanaſiano & Nicæno antea monuimus) ſed ut nunc locum adeptus eſt in Symbolo de ſtatu animæ Chriſti demortui, (fæliciſſimo quidem illo, ſed ex oculis hominum ſubducto) intelligendum judico.

Art: 5. *Tertio Die* RESURRE-XIT *à Mortuis.*

A. *Ecquid habes è vetere Testamento, ceu Typi, ceu Prophetiæ Christum à mortuis excitandum?*

B. Typus extat insignis in Jonâ ex alvo Ceti, ubi sepultus jacuerat, ad vitam in Terris novam redeunte, quem & eo nomine Christus ipse in Evangelio meminit. *Mat:* 12. & alibi.

A. *Quid de Prophetiis?*

B. Eam præcipuè, quâ nihil illustriùs, quámque paulò supra memoravimus, *Psal:* 16. 10. *Non derelinques animam meam* &c. à Petro ad Christum (uti par erat) accommodatum, *Act:* 2. Quin & *Is.* 53. 11, 12. quem moriturum prædixerat Propheta, eundem haud obscure innuit ex mortuis resuscitandum; quî enim aliter fructum visurus erat laborum animæ, (i. e. post exantlatos istos labores) v: 10? quî partiturus spolium cum fortibus, v. 11. (i. e. quemadmodum viri fortes & victores solent) nisi de morte victoriam istam admirandam fortissimus reportasset? Hoseæ quoque Prophetia minimè prætereunda, c.

6. 2. de quâ paulò post, cum de tempore Resurrectionis agetur.

A. *De Novo Testamento nihil opus esse opinor ut dicas.*

B. [a] Summa scilicet Evangelii est Christum mortuum esse & resurrexisse: universa hunc Articulum historia, Evangelistæ, Apostoli, sonant, personántque, omni dubitatione, quæ infirmos primum occupaverat, ex Discipulorum mentibus [b] penitùs evulsâ. [a] 1 *Cor:* 15. 14. [b] *Joh. capp:* 20. & 21.

A. *Quâ autem virtute excitatus est?*

B. Prorsus Divinâ, eáque per totam Tri-unitatem diffusâ.

'Huc mihi facere videntur loci omnes, qui 'Deum simplicitèr ex mortuis revocasse 'dicunt, scilicet *Essentialiter* sumptum, 'non *Personaliter*, vel, uti vim divinam 'singulis personis communem indicant; 'quanquam Dei nomen *indefinitum*, ubi 'Filius quoque mox exprimitur, ad *Patrem* 'unum pertinere constat, uti *Act:* 3. 26. & 'ejusmodi.

1°, Dei Patris virtute, *Rom:* 6. 4.

2°, Suâ Christi ipsius, *Joh:* 2. 19. *Destruite hoc Templum, & ego triduo illud excitabo.* Sic *Joh:* 10. 17, 18. ubi dicit Christus potestatem se habere & *deponendi* &

resurgendi

resumendi vitam. 3°, Spiritus Sancti, 1. *Pet.* 3. 18. *vivificatus Spiritu, per quem etiam ivit prædicatum spiritibus* &c. per eum nempe Spiritum, qui locutus est per Prophetas, uti *Symbolum* Nicænum cum Scripturis, *Nehem.* 9. 30. 1 *Pet.* 1. 11.

A. *Ecquid sub lege significavit Christum tertio die resurrecturum?*

B. Typus ille (quem diximus) Jonas manifestissimè. *Mat.* 12. 40. Eo quoque respicere Hoseam, 6. 2. persuasissimum habeo, (quo fine citatur in quibusdam Bibliis nostris Anglicanis ad oram 1 *Cor.* 15. 4.)

A. *Recitentur verba.*

B. Sic habet vulgata, Vivificabit nos post duos dies, in tertiâ excitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Nihil significantius dici potuit, quàm post duos dies, & *in tertio*; neque ad exiguum modo tempus designandum, uti volunt non nulli, nisi sine exemplo, & subfrigidè locus accommodetur.

A. *Sed quid ista ad Christum? non enim dicit* eum *vivificandum, sed* Nos.

B. Imo facilè de Christo intelliguntur, eóque præcipuè, quippe qui nobis vitæ omnis (nisi quæ morte pejor) fons est, & Author primarius, in quo *uno* omnes

Dei promissiones *Etiam & Amen* sunt (i.e: certæ & immutabiles ut loquitur Apostolus, 2. *Cor.* 1. 20.

A. *An vero mansit in sepulchro Christus tres dies, & totidem noctes?*

B. Non sensu *rigoroso*, aut noctes à diebus *separando*, aut integros sumendo dies. Nam die [a] sextâ (sive Veneris) vitam deposuit, primâ autem (ceu Dominicâ) resumpsit. [a] *Luc.* 23. 54, 56. Sed more apud Hebræos loquendi usitato, qui 1° per suum ערב־בקר (vesperam scilicet & mane) diem volunt *naturalem*, quemadmodum Græci quoque per suum νυχθήμερον. 2° partem vel minimam diei naturalis pro integro sumentes, uti in Circumcisione die octavo. cum tamen diei primæ atque ultimæ quantulæcunque partes pro completis haberentur, ita ut revera sex tantum completi intercurrerent, quo pacto etiam Jurisperiti numerare solent.

A. *Diem itaque numeras Hebdomadæ sextum pro die & nocte unâ, similiter & primum?*

B. Planè, sic enim tertio die resurrexit Christus, & verisimillimum est Jonam ne una quidem horulâ amplius manisse in alvo Ceti, quò Typo (divinitus ordinato) exactè quadraret Antitypum

saltem

saltem ut aliter sentiamus, nulla cogit necessitas.

A. *Quis fructus Resurrectionis Christi?*

B. Omnino maximus, cum hâc demptâ vana esset omnis fides Christiana atque adhuc in peccatis nostris miseri essemus, docente Apostolo, 1 *Cor.* 15. 17.

A. *Nonne sufficisset mors Christi ad tollendum peccata?*

B. Sufficit quidem ex parte *meriti*, & persoluti *pretii*, non ex parte *acceptationis* divinæ, siquidem nisi devictâ morte nunquam nobis in manus traditum fuisset *Chirographum quod adversum nos fuit*, quodque Christus *suffixit cruci*. Moriens acquisivit nobis *jus ad Rem* (i. e. ad peccatorum remissionem) Resurgens, *in Re.*

A. *Quî sit verò?*

B. Ex munere *vadis*, & *communis* quam legaliter sustinuit nobiscum Personæ, unde si morti cessisset ipse, nobis quoque consequenter cedendum esset, sed eo victore nos itidem victores (imò & plusquam victores) per eum constituti sumus. *Rom.* 8. 37. *Eph.* 2. 5.

A. Quis autem hinc debet a nobis ad Deum

redire fructus?

B. Vitæ [a] novæ ſanctimonia, & in Chriſto ſervatore ſumma (in omni ſtatu) cum [b] exultatione [c] fiducia: ut denique cum Apoſtolo ſcire nihil cupiamus *præter Chriſtum, ejuſque Reſurrectionis potentiam.* [a] *Rom.* 6. 4. [b] *Rom.* 5. 3. [c] *Rom.* 8. 32. 34. 2 *Cor.* 4. 14.

Art: 6. ASCENDIT

in cœlum.

A. Quid habes ex vetere Teſtamento de Aſcenſione Chriſti?

B. Typos in Enocho, & Eliâ, prophetiam ſatis claram *Pſal.* 68. 18. quam Apoſtolus de Chriſto interpretatur, *Eph.* 4. 8. 'monendi ſemel ſunt hic juniores, ne aut 'omnia veteris Inſtrumenti loca, quæ Chri'ſtum μυστικῶς ſaltem reſpiciunt, nemini 'præterea hiſtoricè quoque convenire o'pinentur, aut ex adverſo agnoſcunt nul'la, quæ illi uni quadrare poterunt. Sic 'enim utrobique errabitur, & alicubi val'dè periculosè. Exempli causâ, locus i'ſte *Mat.* 2. 15. quem ante citavimus, ut 'impleretur quod dictum eſt per Prophe'tam, dicentem, Ex Ægypto vocavi Filium

‘lium meum, Hoſ. ſcilicet 11. 1. clarum ‘eſt intelligi κατὰ ῥητὸν, ſive ſenſu literali, ‘de populo Judaico primogenito ſuo ‘*Exod.* 24. 22. Senſu verò *myſtico* & *ſublimiore* de Chriſto; ſi quis vero partem ‘ullam *Iſaiæ* cap. 53. Meſſiæ ſoli non a‘daptaverit, etiamſi Angelus eſſet de cæ‘lo, audiendus non eſt. Quis Pariter ‘& hoc loco, aſcendens *captivam duxit* ‘*captivitatem* (i. e. peccatum, mortem, ‘Diabolum) *Et dona dedit hominibus*, præter Chriſtum? Affingat alii, quam volet, Perſonæ Judæus Apella, Chriſtianus non poteſt, certè non debet.

A. *Num Chriſtus verâ quam aſſumpſit humanitate* (*Corpore ſcilicet Animaque humana*) localiter *aſcendit in Cælum?*

B. De hoc minime dubitandum, ſacra abundè docuit Hiſtoria: Nam 1° eodem vivo corpore quo *reſurrexit*, quo apud Apoſtolos alioſque *cibum* ſumpſerat, quo illis *palpandum* ſe dederat, quo per dies quadraginta multa eis cæleſtia documenta inſtillaverat, eodem inquam *dum eum adſpectarent*, ex eorum oculis derepente ſublatus aſcendit. *Act.* 1. 3,9. conferatur locus cum Evangeliſtis.

2°, Non exutam fuiſſe Humanitatem ex eo arguitur, quod cum eâ reverſurus ſit

ad

ad judicandum vivos & mortuos, *Act.* 1. 11. & *c.* 17. 31.

1°, Niſi Chriſtus ipſe (Caput) propriè & localiter aſcendiſſet in Cælum, nulla, eò aſcendendi ſpes relinqueretur Membris, i. e. in eum Credentibus, quod eſt contra Fidem Catholicam in Scripturis fundatam. 1. *Theſſ.* 4. 17.

A. *Quodnam iſtud Cælum eſt quo aſcendit Chriſtus?*

B. Idem prorſus, unde nondum incarnatus [a] deſcenderat, [b] Cælum viz: Cælorum, quod & [c] Thronus Dei dicitur, [d] ſupra Cælos quoſcunque alios non gloriâ tantùm ſed loco longiſſimè poſitum. [a] *Joh.* 6. 62. [b] 2. *Chron.* 6. 18. [c] *Iſ.* 66. 1. [d] *Eph.* 4. 10.

A. *Quem fructum ipſi percipimus ex Aſcenſione Chriſti?*

B. Multiplicem, eumque beatiſſimum,

1°, eſt [a] *abductio Captivitatis Captivæ*, palam triumphante Chriſto (etiam dum in [b] cruce penderet, multò magis in Cælum evecto) de ſuis quibuſcunque & Populi ſui, ne nobis amplius terrori eſſent, inimicis. [a] *Eph.* 4. 8. [b] *Col.* 2. 15.

2. 15. c *Rom.* 8. 38. 39. *collat. cum. v.* 34. *Heb.* 2. 14, 15.

2. Eſt *donorum* collatio Eccleſiæ, *Apoſtolorum*, ſcilicet, *Prophetarum*, *Paſtorum* &c. ad *Perfectionem ſanctorum ad opus Miniſterii, ad ædificandum ipſius Corpus*, tantiſper dum ad ſuæ ſaturæ *plenitudinis* menſuram adoleverit. *Eph.* 4. 11. 12. 13.

3. Spiritûs ſancti [a] miſſio, qui nobiſcum [b] Dux veritatis, [c] monitor fidelis, [d] Conſolator ſuaviſſimus ſemper permaneret. [a] *Joh.* 16. 7. [b] 16. *v.* 13. [c] *Joh.* 14. 16. [d] *Joh.* 14. 26.

Arti

Art. 6. *Et* SEDET *ad Dextram Dei &c.*

A. *Ne immoremur aut* [a] *vaticiniis Inſtrumenti veteris, aut Hiſtoricis Novi teſtimoniis huic Articuli clauſulæ ſuffragantibus, dic potius* 1° *quid hic ſit Dextera Dei* [a] *pſal.* 110. 1. *collat. cum Act.* 2. 34. *&c. Mar.* 16. 19. *& ejuſmodi.*

B. Locutione iſta metaphorica nihil in perfectiſſimo ſpiritu corporeum notari par eſt, cum ad noſtram ſolummodo balbutiem temperata vox ſit.

A. *Cedò itaque quem ſibi ſenſum in Articulo poſcat.*

B. [a] Honorem, [b] poteſtatem, [c] beatitudinem Chriſti ſupereminentiſſimam, & Dei Patris proximam indicat. [a] 1. *Reg.* 2. 19. [b] *Pſal.* 110. 1. *Heb.* 1. 3. [c] *Pſal.* 16. 11. ad dextram tuam (quâ munera porriguntur) ubi æterna eſt voluptatum ſcaturigo.

A. *Quid ſibi vult ad hanc Dextram ſedere Chriſtum?*

B. Honore ſcilicet iſto, potentiâ ſummâ, & fælicitate frui, idque 1°, ut antecedentium laborum & [a] fine & [b] præmio [a]

2° Securè & ſine omnis in poſterum moleſtiæ aut metu, aut periculo, geſtus enim quietis eſt ſeſſio animique curis, & anxietatibus omnino vacui, quo ſenſu etiam uſurpatur. *Mic.*4.4.

3° Poteſtatem Chriſti juridicam quoque indigitare videtur (nam & [a] Judicis hic geſtus eſt.) unde Deus ſedere dicitur in throno ut Rex & Judex. *Pſal.* 29. 10. & 99. 1. [a] *Prov.* 20.8. ſedetur poſt pugnam, ſedetur poſt victoriam, ſedet qui triumphat, ſedet qui regnat, uti non malè Maldonat, in *Mar.* 16.

A. *At Stephanus (Protomartyr ille beatiſſimus) Chriſtum in cælis ſtantem ad dextram Dei, non ſedentem moriens vidiſſe dicitur. Act.*7.56.

B. Ita, proinde Chriſti ſeſſio non eſt tam corporalis, quam metaphorica & myſtica; ſtans Martyri ſuo apparere voluit, quaſi præſtò ejus cauſam apud Deum & voce & manu acturus.

A. *Nonne Chriſtus ab æterno ſedit ad Dextram Dei?*

B. Non propriè, & ſenſu ſcripturali, quia nunquam ei honos iſte tribuitur niſi ut διανοήτῳ. Ut Deus, non dicitur ad Dei dextram ſedere, nam hoc etſi proximum, tamen & ſecundum, ceu dignitate inferiorem

rem notat locum, qui Christo non conveniit simpliciter ut Deo, sic enim (ἴσα θεῷ) æqualem esse Deo rapinam non duxit. *Phil.* 2. 6. nec magis aut minus suscipit Majestas Divina. Proinde superest ut de Christo mediatore incarnato ista intelligantur.

A. *Quem fructum habemus à Christo ad dextram Dei sedente?*

B. 1. [a] Hinc pro fidelibus suis intercedit [b] semperque vivit ut hoc faciat. [a] *Rom.* 8. 34. [b] *Heb.* 7. 25.

A. *At Spiritus Sti quoque intercedere dicitur,* ὑπερεντυγχάνει, *Rom.* 8. 26.

Geminationem istam præpositionis ὑπὲρ non omnino ociosam, sive Pleonasticam, opinor, sed aut (cum Erasmo) *indicare quod Spiritus fidelium votis præsit moderator,* [a] aut ad certitudinem rei, adeoque Credentium Consolationem magis emphaticam, quasi dixisset Apostolus, intercedit *pro nobis*, *pro nobis* (*inquam*) sive quod preces nobis ad Deum dictat, cum ὑπερεντυγχάνειν sit Advocatorum qui Clientibus desideria suggerunt, uti Grot. in loc. aut ad certitudinem rei &c. [a] suprà.

E Museum discrepant interceſſio Christi, & Spiritûs Sti nam illa 1° est immediata, formalis, & propriè dicta, hæc mediata,

mediata, cauſalis (effectiva) & impropria: Quippe Spiritus non aliter interpellat, quam orantibus dictando preces, & corda ſic afficiendo, ut ſuo ardore ad cælum uſque penetrent, uti ex contextu præcedente liquet. At Chriſtus qui Patri proximus ad dextram ſedet non modo per Spiritum preces nobis ſuggerit, ſed in ſuâ ipſius perſonâ interpellat pro nobis.

2° Intercedit Chriſtus virtute meriti, & ſatisfactionis Deo præſtitæ, non ita Spiritus Sanctus.

A: *Qualis eſt illa interceſſio Chriſti?*

1° Non vocalis, ſed realis, ſive[a] voluntatis, objecto quaſi ſemper coram Deo ſacrificii ſui merito, peccatorum expiatorio, ſimulque volentis ut acceptetur, ſicut Abelis dicitur clamaſſe ſanguis, quo in caput Fratricidæ ultio divina caderet, non quod ediderit vocem, ſed quod res ipſa poſceret vindictam; ita auribus Divinis in gratiam fidelium nunquam non inſonat ſanguis ille Chriſti[b] lætiora quam Abelis interfecti poſtulans. [a] *Joh.* 17. 24. [b] *Heb.* 9. 24.

2° Eſt interceſſio ſolitaria, quam cum nullâ vult creaturâ (ſive Angelo, ſive Cælite

lite Animâ) partiendam : hoc enim esset mediatoris quoque partes, proinde & gloriam suam alteri concedere vid. Enchirid. c. 8.

3° Et particularis, i. e. singularibus omnium fidelium personis applicata, quemadmodum etiam dum in Terris ageret rogavit pro Petro, ne fides sua deficeret. *Luc.* 22. 32

4° Est interpellatio efficaciſſima, & quæ nunquam vacua ad Interpellantem redit, sed finem integrum assequitur *Joh.* 11. 42. & c. 17. 9. 10. 20. 21. &c.

A. *Quid ex Intercessione Christi lucrantur Fideles?*

B: Aditum ad Thronum gratiæ cum Fiduciâ. *Heb.* 4. 14, 16. Quid enim eis denegabitur, queis Interceſſorem Chriſtum conſtituit Deus?

A: *Quid docet?*

B: Ut uno Interceſſoris noſtri (Filii ſui) nomine Patrem intrepidè adeamus. *Joh.* 14. 13.

A: *Quid aliud habes de prædictâ Christi sessione notandum?*

B: 1°, honorem naturæ humanæ (quamvis immeritò) habitum, quam in hoc ſupra ipſam Angelicam evexit Deus, utpote quæ in Chriſto ſedet ad dextram Dei, proinde

proinde multò pluris faciendam, quam ut turpibus hominum cupiditatibus inserviat.

2°. Cum Christus ad dextram Dei sedeat, non modo ut Sacerdos noster & Intercessor, sed ut supremus quoque mundi *Dominus* (quippe cui omnis potestas in Cælo & in Terrâ, etiam ut mediatori, à Patre demandata sit) hinc discimus illius subditis nihil metuendum à mundo, neque à Principe ejus (qui dicitur) Diabolo, quin potius ejus potentiæ innixos in opere Domini animose & constantèr pergendum. [a] *Joh.* 16. 11. [b] 1. *Cor.* 15. 57. 58.

Art: 7. *Unde Venturus eſt ad* JUDICANDUM *Vivos & Mortuos.*

A. *Nullum licet poſt mortem expectare Judicium ante* Univerſale *illud quò reſpicit Articulus?*

B. Imo *privatum*, & *particulare* ſtatim ab exutâ mortalitate, quod ſolennis ille *Dies Domini* & ratum faciet, ejuſque ſummam æquitatem omnibus tam ſanctis quam Impiis (ſive Angelis, ſive Hominibus) propalabit. *Heb*: 9. 27.

A. *Unde hoc evincitur?*

B. Ex Scripturarum oraculis, quæ [a] morientes in Domino *beatos* prædicant, quæque in *Paradiſo*, in *ſinu Abrahæ*, cum [b] *Chriſto*, idque in æternis [c] Cæli Palatiis collocant, ſimulatque luteo corporis tabernaculo ſoluti fuerint: de [d] Impiis autem adverſa omnia pronuntiant; Hoc enim indicat de utriſque (ſive piis, ſive impiis) à morte recentibus latam eſſe Status *immutabilis* & æterni ſententiam, etſi in foro magis privato. [a] *Apocal.* 14. 13. [b] *Phil.* 1. 23. [c] 2. *Cor.* 5. 1. [d] *Luc.* 16. 23. *Act.* 1. 25. *vid. Grot. in loc.*

A. *Itaque quid opus eſt judicio altero, illo nimirum* Univerſali *ad finem mundi?*

Ad

B. Ad *Pompam* quasi debitam Justitiæ Divinæ, quo scilicet omnibus [a] splendescat, & Christus, toto spectante mundo, Judex veluti solenniter *inauguretur*; quin & ad ultimum fælicitatis Piorum, & Impiorum miseriæ *complementum*. [a] 2 *Thess.* 2. 8.

A. Unde autem infertur Judicii futuri præsertim Universalis necessitas?

B. Non solum ex sacri Codicis frequentibus [a] testimoniis, verumetiam ex privato cujusque [b] accusantis, vel excusantis *Conscientiæ* volumine, ex [c] Piorum in hac vitâ calamitatibus omnigenis, & sceleratorum triumphis, quorum illi, (justo in cælis regnante Deo) non semper [d] expectato carebunt præmio, neque debito isti supplicio. [a] *Psal.* 96. 13. *Dan.* 7. 10. *cum Apocal.* 20. 12. *Act.* 17. 31. [b] *Rom.* 1. 32. [c] 2 *Thess.* 1. 6. 7. [d] *Psal.* 9. 17. 18.

A. An Christus solus judicabit, exclusis Patre & Spiritu Sancto?

B. Non quoad potestatem illam "αυτεξουσιον" sive originalem, quam æquè singulæ participant Trinitatis personæ; at solus quoad potestatem, sibi [a] ut διαφόρως *peculiariter delegatam*, quò eadem scilicet naturâ Deus juste judicaret, in quâ judicium olim iniquissimum subiit. [a] *Joh.* 5. 27. *Act.* 17. 31.

A. *At de Sanctis dicitur, quod Ipsi quoque judicabunt mundum.* 1 *Cor.* 6. 2.

B. Resʃonsionem habes in Enchirid. c. ult.

A. *Cum Articulus dicit judicandos esʃe vivos, & mortuos, utrum hoc de Piis modo intelligendum putas, an Impios etiam includere, præsertim cum Psal.* 1. *comm. ult, docemur, quod isti non* ſtabunt *in judicio?*

B. De utriſque ſine dubio intelligendum, uti conſtat ex Matthæi. *c.* 25. *v.* 31. ad fin. cap. aliiſque Scripturæ locis quam plurimis. Pſalmus autem loquitur de peſſimo Impiis *eventu Judicii; non ſtabunt*, i. e. cauſâ cadent, ſive *damnabuntur*.

'Vox Pſalmi eſt יקומו quod vi radicis קום, ſignificat non modo ſtare, ſed ſtare 'firmiter, & immotè; unde Deuter: illud 'c. 19. 15. ex ore duorum teſtium, vel trium 'יקום (ſtabit) omne verbum, reddidit 'Paulus σταθήσεται, ſtabilietur, vel firmum ſta-'bit, 2 *Cor.* 13. 1. Targum optimè locum 'vertit לא יכון רשיעי ביומא רבא, non * 'Juſtificabuntur Impii in Die magno.

A. *Quale vero futurum eſt ultimum & Generale Judicium?*

B. 1. omnibus valdè *glorioſam*, Piis quidem ineffabiles triumphos agentibus, contrà Impiis horrendum in modum deſpera-

ſperatione attonitis & confuſis, neque excuſationis, aut ſubterfugii capacibus. [a] *Mat.* 25.31. *Tit.* 2. 13. [b] *Apoc.* 7.9. [c] *Apoc.* 6. 16, 17.

2. Judicium ſummâ [c]um *æquitate peractum*, unicuique ſcilicet *ſecundum opera*. 2. *Cor.* 5. 10. 2. *Theſſ.* 1.5.6.

3. *Subitaneum*, & ex improviſo.

4. *Irrevocabile*, Bonis æternâ ſalute coronatis, æterno Malis ſupplicio mactatis. *Mat.* 25.46.

A. *Unde autem hujus Judicii formula fiet, & Proceſſus?*

B. Ex duplicato iſto volumine, ſcripto nimirum Sacri Codicis, & non ſcripto Conſcientiæ [a] *Apoc.* 20. 12. [b] *Joh.* 12. 48. [c] *Apoc.* 6. 15. *Rom.* 2. 14. 15.

A. *Quomodo ad Chriſti Tribunal congregandi ſunt omnes, & vivi (hoc eſt, ad [a] ejus adventum) & mortui?* [a] 1 Theſſ. 4. 17.

B. Sanctorum Miniſterio Angelorum, quo utetur non ex *neceſſitate* (quæ infinita ejus eſt potentia) ſed pro ſuo ipſius *libero* beneplacito. *Mat.* 13.41,42. & c.25.31,32.

A. *Ubi peragendum eſt Judicium?*

B. In Aëre, eóque (veriſimiliter) *inferiore*. *Mat.* 26. 64. 1 *Theſſ.* 4. 16, 17.

A. *Quando demum?*

B. De Die illo & Horâ nemo novit, ne-

que Angeli in cœlis, neque Filius Hominis, ſed Pater ſolus. *Mar:* 13.32.

A. *Quid verò ſibi vult Filium Hominis, (i. e. Chriſtum ipſum) neſcire Horam ac Diem Judicii?*

B. De naturâ Divinâ (utpote omniſciâ) intelligi non poſſe conſtat, ſed de humanâ facilè poteſt, in quâ Chriſtum *Scientiâ* profeciſſe legimus. *Luc:* 2.52. *Scilicet* * pro temporum ratione menti humanæ Chriſti effectus ſuos impreſſit divina ſapientia. Hoc itaque tunc temporis ignorâſſe Chriſtum (quà *Hominem*) nihil vetat, ſed poſt *Reſurrectionem*, uti omnem, quà ἀνθρωπος, accepit poteſtatem, ita omnem quoque ſcientiam, quam tamen circa tempus hujus Judicii creaturæ nulli viſum eſt communicare.

* *Grot. in loc.*

* *Lib. 5. de Fide c. 8.*

'Mirum eſt quod clauſulam iſtam *Am-
'broſius [neque Filius Hominis] non mo-
'do ſuſpectam habet, ut à Falſariis inter-
'polatam, ſed codices Græcos habere ro-
'tundè neget. Abſit ut Fidem venerandi
'Patris in dubium trahamus, ídque in Re
'*facti*: potuit viro optimo ab aliis impo-
'ni, in Græcis non admodum exercitato,
'aut (quod malim) intercidêre (labentí-
'bus ſeculis) aliquot exemplaria, quæ tum
'extabant. Certè in nullo tunc Codice,
'Græco,

'Græco, Latinóve, imò neque apud Ara-
'bem aut Syrum, aut ullo omnino Interpre-
'te desiderari, Fide suâ docuit eruditis-
'simus Capellus in Loc.

A. *Ecqua saltem in propinquo esse prænuntiabunt signa?*

B. Hoc Christus ipse sæpiùs monere videtur, sed magna interim cautelâ simul & modestiâ opus est, quò ab incertioribus & magis cõmunibus certiora & propria separentur.

A. *Quæ communiora vocas signa?*

B. Qualia legimus *Mat.* 24. *ad v.* 29: quorum tamen aliqua excidium istud Hierosolymæ novissimum respicere minimè dubitandum, quod cum adeo horrendum erat, cum eversione (veluti alterius & antiquioris 'Mundi) tum Reip. tum Ecclesiæ suæ conjunctum, illustris extitit ultimi Judicii Typus. 'Quo nomine Statum sub tempore Messiæ futurum à Judæorum 'magistris notari solitum, observarunt 'Eruditi; imò nec semel à Scriptore Divi-'no ita dictum reperimus, *Heb.* 2. 5. *&c.* '6. 5. Huc etiam facere videntur promissa 'de Fœdere cum Judæis nunquam abrum-'pendo, quo minus Natio & Populus Deo 'essent cunctis diebus suis. *Jer.* 31. 37. 'quod interdum exprimitur per לעולם vel

‘ ſimplex עולם Seculum, Ævum, id autem
‘ ſæpe non perpetuum tempus (ſive Æter-
‘ nitatem) ſed *longum* notat, & (maxi-
‘ mè cum de rebus iſtorum agitur) Status
‘ Judaici durationem. Ita *Gen.* 17. 13.
‘ Fœdus meum erit in carne veſtra fœdus
‘ לעולם; æternum Ipſi reddimus, ſed non
‘ ultra legis Moſaicæ durationem pro-
‘ ſpicere manifeſtum eſt. ſic & *Pſal.* 24. 7.
‘ portæ עולם; Nos portæ *Æternæ*, & alibi
‘ multoties. Unde nemini mirum videbi-
‘ tur, ſi aut mundi Judaici excidium pro
‘ ultimo totius mundi Judicio (neque ab
‘ indoctis) per errorem ſubinde intelliga-
‘ tur, aut ſi de utriſque deſcriptio fortaſſis
‘ adeo implexa videatur, ut alterum ab
‘ altero ſecernendi locus haud ita expedi-
‘ tus fuerit.

A. *Habéſne aliud ſignum communius?*

B. Maximè, quale eſt omnigenæ Impietatis, Tumultuum, & Perſecutionum ob Evangelii Teſtimonium in mundo graſſantium ſeges ad luxuriem uſque fœcunda. vid. *Mat.* 24. 2 *Tim.* 3. &c.

A. *Nonne hoc ſignum eſt peculiare ad finem ruentis mundi?*

B. Omnino, ubi menſuram ſuam impleverit Hominum Apoſtatarum aliorúmque nequitia; quod (ſi quando aliàs) in Papatu

Papatu (illa jam pridem ſcelerum omnium Sentina) feciſſe videbatur. Interim tamen periiſſe propemodum è Terris & Fides, & Charitas, jam olim haud ſemel viſa eſt, unde hæſitantiùs ex hoc ſigno Finem in proximo adeſſe pronuntiandum, etſi gradum cò magis corripere tutò dicatur.

A. *Quid tibi videtur de plenitudine iſta Gentium, & vocatione ſalutari Judæorum, quam loquitur Paulus, Rom.* 11. 25. 26. *nonne ſigna hæc erunt imminentis iſtius Judicii?*

B. Certe nihil Fidei Chriſtianæ metuendum arbitror, ſi & hæc & illa concedatur, ut verba ſonant, quæ ſi unquam eveniant, valde probabile eſt appropinquare Finem mundi?

A. *Unde iſta autem conjectatio tua?*

B. Tum quod Scriptura de iis loquatur, ut non niſi poſt *multa* Secula futuris, tum quod collecta in unum corpus maximum Eccleſia, Gentili & Judaica, Chriſtóque de utraque ſuaviter triumphante, nihil mirum erit ſi Regnum mox ſit Patri traditurus, quod eo potiſſimum fine hactenus exercet, ut [a] Electos ſuos in unum colligat, & [b] debellatis Hoſtibus æterna ſecum fælicitate impertiat. [a] *Mat:* 24. 31. [b] 1 *Cor:* 15. 25. ad 29.

A. Nonne *Paulus etiam ruinam Anti Chriſti, quem*

quem Hominem Peccati (sive Sceleratissimum vocat) inter Signa magni Judicii propinquiora ponit? 2. Thess. 2. 3. 4. 8.

B. Imo verbis docet disertissimis, quod postea Johannes in sua Apocalypsi, capp. scilicet 18. & 19. Si autem Apocalypsis illa (quod multi censent & graves, & docti Theologi) *continuo* quodam *filo Prophetico Historiam Ecclesiæ* pertexit, à Christo scilicet in cœlos recepto ad alterum de cœlis in gloria Descensum, palam erit (cuilibet attendenti) Ruinam istam quam diximus AntiChristi à supremo mundi die haud procul distare, quippe quæ totam fere claudit Historiam.

A. Da tandem signa omnino proxima & Judicium ipsum introducentia.

B. 1° Signum Filii Hominis, uti Servator Ipse vocat, *Mat.* 24.30. Tunc, inquit, *conspicietur signum Filii Hominis in Cælo.* Hoc autem quidem de fulgore aliquo longe glorioſissimo, eóque in formam ✠ Crucis dispositio interpretantur, mihi quidem ineptire non videntur. Cum enim Crucis nomine tot omni ævo indigna pertulit Salvator, quid mirum si in coronam vertat? Si quod sannis & injuriis (dum securè in Terris deliciarentur) Homines, excepere signum,

Signum, coram eo Judicandi procedant, non *ludibundi* amplius, ſed *horrore* ſummo perculſi?

Veteres & Græcos & Latinos idem ſenſiſſe. vid. D. Heylin. in Articulum.

2°, *Clangor Tubæ*, cujus Scriptura toties meminit, ut *Mat.* 24. 31. 1. *Cor.* 15. 52. & alibi.

A. *An Tubam propriè dictam intelligis, vel Metaphoricam?*

B. Fragorem potius aliquem terroris plenum, uti Chriſto ipſi viſum fuerit, qui etiam ſurdos, imo & mortuos, ſupernaturaliter ad attentionem excitet, qualis in promulganda lege Sinaiticâ, *Exod.* 19. 16.

'Alludi putat Druſius ad clangorem 'in Feſto Tubarum ab Ortu Solis ad Occa-'ſum uſque continenter audiendum, idque 'ob hanc cauſam inter alias, ut recorda-'tio ſubiret illius Diei, quo per Tubam 'Mortui excitandi erunt, quod fore cre-'debant eodem menſe Septimo (Tiſri vi-'delicèt) ſicut liberatio ex Ægypto fuit 'in Niſan; quo etiam menſe liberavit nos 'Chriſtus morte ſuâ ab Inferno. Ainſ-'worthus Maimonidem citat ad excitatio-'nem è ſomno *peccati* referentem; vide-'ſis in loc.

A *Reſtâtne*

A. *Restátne signum aliud?*

B. Ita, sed Judicii *subsequens* potius, quàm ullo modo *antecedaneum*, v. 2. machinæ scilicet Universi *visibilis* dissolutio, cujus & Psalmista meminit, *Psal.* 102. 25. 26. & *S. Petrus. I p.* 2. 3. 10.

A. *Nunquid ista erit dissolutio quoad Machinæ* Substantiam, *an solummodo quoad Qualitates?*

Finito hoc judicio nullus videtur mundi *visibilis* usus, proin amplius quoad Substantiam extiturum nulla suadet Ratio. De mundo *invisibili*, Piorum putà & Impiorum vitâ functorum sedibus, alia planè res est, quoniam utrique vivunt in æternum.

A. *Ex hoc autem Judicio quid discendum?*

B. 1°, Incredulis & Impenitentibus, ut ad Fidem & Respicentiam maturè excitentur. Hujus metu Athenienses ad pœnitentiam extimulavit Apostolus, *Act.* 17. 30. 31.

2°, Fidelibus; idque

1°, ut Ipsi quoque posito ob oculos timore Domini, ab omni *specie mali* abstineant, 2. P. 3. 11.

2° ut Sobrietati & divinis quibuscúnque officiis acriter *invigilantes*, perstent & proficiant in Bono.

3° Suas Ipsorum animas possideant in patientia. 4° Ne

4° Ne Impiorum caducæ prosperitati invideant, nec

5° ut sorti suæ (quamvis afflictissimæ) irascantur, scientes utique quod *opera ipsorum non irrita erit in Domino.*

Art: 8. *Credo in* SPIRITUM SANCTUM.

A. *Cum Spiritus Sanctus sit tertia in Trinitate Persona, cur in Symbolo Spiritus dicitur, & cur Sanctus magis quàm Pater aut Filius?*

B. Spiritus dicitur non modò quoad *essentiam* (sic enim Pater & Filius) sed quoad peculiarem *Subsistentiæ*, sive Personalitatis *modum*, quo Spiramine quodam ineffabili à Patre & Filio procedit.

A. *Cur autem Sanctus?*

B. Non ratione duntaxat essentiæ, sed *muneris* & Officii, quod est *immediatè* Sanctos facere. Pater enim sanctificat per Filium & Spir. Stum, Filius à Patre per Spiritum, & Spiritus ab utroque, *per se* tamen, & *proximè*.

A. *Esne Spiritus S. verus Deus, & vera Persona?*

B. Omninò; vid. Enchirid c. 3. vid. etiam

Doctiss.

A. *Unde liquet Spiritum S. procedere tum à Patre, tum à Filio?*

B. De Patre nunquam est in Ecclesiâ dubitatum, cum disertè hoc asserit Scriptura, *Joh.* 15. 26. Quod autem à Filio, æquipollere videtur, quod toties dicatur Spiritus Christi, ut *Rom.* 8. 9. *Gal.* 4. 6. *&c.* vix enim intelligi potest, cur aliàs Illius quoq; Spiritus appelletur.

'De Processione à Filio diu multúmque 'non sine gravi scandalo & tumultu Orbis 'Christiani altercatum est inter Orientis '& Occidentis Ecclesias, illis aientibus, 'istis negantibus: neque tamen apud Oc'cidentales clausula in Symbolo ista [*Fi'lióque*] sedem ferè ullam, (nedum quie'tam,) reperire potuit ante Nicholai Pon'tificatum, seculo ferè nono. Sed de tota 'controversia qui plura volet, consulat 'DD. Heylinum, & Piersonum in *Symbo*'lum, Stillingfleetum in vindiciis suis do'ctissimis. Archiep. Cantuarienses, Part. 1. 'c. 1. Ego certe, salvo Doctiorum judicio, 'nihil hæreseos video, sive hoc, sive illo 'modo statuatur. Imò consultissimum fuerit 'in istis mysteriis ad *sobrietatem*, nec ultra 'quod *scriptum* est (sensu saltem mani'festo) sapere.

De

A. *Da Spiritus effecta peculiaria, & Perſonæ ſuæ quodammodo propria.*

B. Ad binas ea claſſes commode revocari poſſunt, collationem ſcilicet *Donorum communium*, & Gratiæ *ſalutaris*. Illa Gratia *gratis data*, Iſta autem gratia *gratum faciens* à Scholaſticis nuncupari ſolet, quam fructum Spiritus appellitat Scriptura. *Gal.* 5. 12, & alibi.

A. *A Donis incipe*; & *primò, qualia ſunt iſta (quæ vocas) Dona, & our communia?*

B. Dona voco propriè virtutes quaſcunque *activas*, præſertim *intellectuales*, ſi non ſupra ſortem naturæ, ſaltem ſupra *ordinariam* & vulgarem.

A. *Explica inſtantiis.*

B. Supra vires naturæ ſunt Dona *Miraculorum, Linguarum, Prophetiæ*, & ejuſmodi, quorum Catalogum habemus. 1. *Cor.* 12. 8. 9. 10. 11. quæ dona Spiritus diſertè ibidem appellantur.

Supra ſortem *vulgarem* ſunt Artes, & Scientiæ quælibet in gradu multò *eminentiore* infuſæ, qualibus Bezaleelem & Aholiabum inſtruxit ad opus Tabernaculi, *Exod.* 31. 3. 6. cui accenſenda erit Fortitudo iſta Heroica, quam Deus aliquoties indidit populi ſui Ducibus, ut Samſoni, Gideoni, &c.

A. *Cur*

A. *Cur autem vocas Communia?*

B. Ne cum *ſalutaribus* confundantur, & quia Hominibus etiam Reprobis conferri poſſunt. *Mat.* 7. 22. 23.

A. *Pergatur jam ad dona Gratiæ ſalutaris.*

B. Ea autem aut *publica* ſunt, aut *privata*: Publica quæ in uſum Eccleſiæ conferuntur, uti media ordinaria quibus ad ſalutem perveniatur. Privata, quæ ſingulis ad vitam Electis Spiritus largitur.

A. *Quænam ſunt illa dona publica?*

B. Paſtorum in Eccleſia ad Munus a Chriſto conſtitutum [b] *ſeparatio*, [c] dotùmque miniſterialium collatio, prout vult. [a] *Eph.* 4. 11. [b] *Act.* 20. 28. *Act:* 13. 2. [c] *Iſ:* 60. 1. *Act.* 2. *Mar.* 13. 11. quod etiam ex Prophetis ſub V. Teſtam: conſtat, qui omnes locuti ſunt per Spiritum Dei. 1 *Pet:* 1. 11, *Neh:* 9. 30.

A. *Verum iſta quæ profers de ſeparatione miniſteriali, dotibúſque eò pertinentibus, exempla ſunt prorſus* extraordinaria, *Chriſti ſcilicet ipſius, Prophetarum & Apoſtolorum.*

B. Sunt quidem; at ſuo *modo*, *proportione*, *& gradu* ſeculis omnibus Communia, cum nemini fas ſit Epiſcopi, Paſtoris, aut Miniſtri (qui vulgo dicitur) exercere

exercere munus, nisi à Spiritu Sancto vocatus fuerit, aut idoneis saltem argumentis vocatum se crediderit.

A. *Unde autem cognoscere quis poterit ad hoc tremendi muneris se vocatum à Spiritu?*

B. De vocatione, ni fallor, loqueris *ordinaria*, non illa extra ordinem, quali nimirum gaudebant Prophetæ multi, omnésque Apostoli.

A. *Illam sanè ipsam volo, cum post Apostolos rara admodum, infrequensque sit extraordinaria vocatio, nec à quoquam nunc dierum expectanda, imò nec expetenda, quia nulla promissione nixa.*

B. Ad vocationem itaque Spiritus ordinariam tria omnino concurrere videntur.

1°, *Donorum* (pro [a] infirmitate humana) sufficiens Mensura, quo saltem aptus sit vocatus *ad docendum*. [a] 1 *Tim*: 5.23.

2°, *Vita* [a] *inculpata*, & præcipuè *synceræ* [a] *Deo* [b] *serviendi zelus* in Ecclesiâ, & opere Evangelii. [a] 1 *Tim*: 3. ubi proximè; [b] *Act*: 20.24. 1 *Pet*: 5.2.

3°, Ad opus [a] *separatio* secundum [b] Christi, & [c] Spiritus sui præscriptum) per [d] Præfectos Ecclesiæ debito prius, & doctri-

ma, & morum habito examine. [a] *Heb:* 5. 14. [b] *Eph:* 4. 11. &c. [c] *Act:* 13. 2, 3. [d] *Tit:* 3. 5. 1 *Tim.* 4. 14.

A. *Itaque qui aliàs ingrediuntur ministerium quam per hujus separationis Canonicæ ostium, pro sacrilegis potius Invasoribus, quam à Spiritu Sancto vocatis habendi sunt.*

B. Nihil certius (quemcunque & sibi aliisque palpum miseri obtrudunt) currunt enim *non missi*, unde & pacem Ecclesiæ violant, Deo [a] exosos se reddunt, everso à se constituto ordine, & popello (cujus unius ædificationem meditari simulant versuti) [b] inutiles. [a] *Jer:* 23. 21. cum v. 30. [b] ibidem v. 32.

A. *Opportunè nunc ad dona gratiæ salutaris privata festines.*

B. 1. Vocatio *efficax*, sive *regeneratio*. *Joh:* 3. 5. *Tit:* 3. 5.

2. *Spiritus* in Fidelium Cordibus *habitatio*. 1 *Cor:* 3. 16. & alibi sæpius. Hoc autem intimam illius præsentiam, non *essentialem* modo (qua implet omnia) sed *Gratiosam* & salutarem notat, unde etiam in omnem veritatem ducuntur. *Joh:* 16. 13.

3. Suavissima in *angustiis* & ærumnis, qui-

quibuscunque *Consolatio*, unde Consolatoris nomen per eminentiam à Christo accepit: *Joh.* 14. &c.

4°, *Regimen* perpetuum, quo Spiritus ducit, & moderatur Fideles secundum voluntatem & verbum Dei: *Rom.* 8. 14. & alibi.

5°, *Nutritio* & [a] augmentum in Gratia ad finem usque hic quoque respectu regula, *Ex iisdem nutrimur ex quibus constituimur.* *Eph.* 2. 21, 22.

6°, *Obsignatio in diem Redemptionis.* *Eph.* 1. 13. & p. 4. 30.

A. *Quid autem ista vult Obsignatio?*

B. 1. Ex parte Dei, curam ejus specialem & affectum in fideles designat, quibus (tanquam rei pretiosissimæ) notam sive Characterem imprimit, quo ipsius esse innotescant: 2 *Tim.* 2. 19. vid. D. Hammond in loc.

2°, Huc facit, ut verecundam Piorum animis ingeneret fiduciam, qui istud *Spiritus* sigillum & [a] arrhabonem pretiosissimum acceperunt, *Spiritu* nimirum *Sancto* cum illorum *Spiritibus* testante se esse filios Dei, uti docet Apostolus, *Rom.* 8. 16.

[a] *Eph.* 1. 14.

A. *Quid Hic docet Articulus?*

B. 1°, Spiritum Sanctum coæqualem esse Patri, Filióque Deum, quippe aliàs non posset esse objectum fidei *Divinæ*.

2°, Non mœrore afficiendum (uti monet [a] Apostolus) quod faciunt quicunque [b] monitis ejus morem non gerunt, aut [c] vita minimè Christianâ dehonestant: [a] *Eph:* 4. 30. [b] *Is:* 63. 10. [c] *Eph:* 4. à 25. ad 31.

3°, Hinc Deus maxime orandus est, ut [a] Spiritum suum nobis largiatur, utque nobiscum maneat [b] in perpetuum. [a] *Luc:* 11. 13. [b] *Joh:* 14. 16.

Art. 9.

Art: 9. CREDO ECCLESIAM CATHOLICAM.

De Eccleſiæ Natura, Proprietatibus, & id genus aliis, vid: Enchir: c. 22.

A. *Cum loquitur Articulus in ſingulari* [*Eccleſiam*] *permultas tamen Eccleſias fuiſſe, & Scriptura docet & eſſe experientia, quin & Ratio poſtulat, quomodo* una *dicitur Eccleſia.*

B. Eccleſia numero ſingulari non ſolum in Articulo, ſed in Sacro quoque Codice multoties occurrit, ut *Eph.* 5. 25. & alibi paſſim. Una autem dicitur quatenus integrum [a] Corpus eſt, ex multis membris Compoſitum, & [b] Spiritu Sancto animatum, cujus caput eſt Chriſtus. [a] *Col.* 1. 18. [b] *Eph.* 4. 3.

A. *Unde verò oritur Unitas iſta?*

B. Ex Unitate Principii, Finis, & Medii.

A. *Quidnam eſt unum iſtud Eccleſiæ Principium?*

B. Diſtingui poteſt in *Quod* & *Quo*, Illud eſt Chriſtus Caput, qui ſanguine [a] ſuo

constituit sibi Ecclesiam; Istud est Spiritus [a] informians, sicut Anima Corpus. [a] 1 *Pet.* 2. 9. [b] 1 *Pet.* 4. 6.

A. *Etsi Christus solus sit Caput* invisibilis *Ecclesiæ, nonne potest aliud esse Caput visibile, puta Pont. Romanus?*

B. Binorum Ecclesiæ Capitum Scriptura nusquam meminit, nullum omnino nisi Christum designat, qui (ut [a] Caput) vitam Gratiæ cunctis ejus membris solus infundit, nec unquam Corpus Ecclesiæ dicitur, nisi unius Christi; non *Papæ*, non ullius demum Creaturæ. [a] *Col.* 2. 19. [b] *Eph.* 1. 22. 23, & alibi sæpius.

A. *Sed nullo prorsus sensu Pontificem vis esse Caput Ecclesiæ?*

B. Nullo, nisi Ecclesiam intelligas *Maligmantii*: nam quod ad Christi Ecclesiam attinet, probet se prius sanum esse Membrum. Utcunque constat eum si (vel maximè dignus esset Petri quam falso jactat Cathedrâ,) non magis esse Caput quam reliquos Episcopos, ex paribus Apostolorum πρεσβυτοις, sive prærogativis, utpote quorum singulis, non uni Petro, Regni Cælestis *Claves* cum ministerio *verbi* & *Sacramentorum* ex æquo Christus concredidit. *Mat.* 28. 20. *Joh.* 20. 23.

Interim

'Interim tamen ſi Capitis vocabulum
'(uti apud Hebræos, quin & aliis quoque
'linguis) latiùs uſurpetur pro membro
'aliquo Eccleſiæ in præcipuâ ſub Chriſto
'Dignitate collocato, de eo non eſſet
'anxiè laborandum, niſi quod Scripturæ
'Stylus adverſetur, quæ neque in vetere
'Inſtrumento, neque Novo, Mortalem
'quemvis *Caput* Eccleſiæ vocat, unde ſal-
'tem ob *reverentiam* Chriſti, ejuſque Scri-
'pturarum ad miſeros Peccatores (cum de
'Eccleſia agitur) non facile accomodan-
'dum cenſerem: aliàs ut diximus de vo-
'cula non eſſet litigandum: nam Fami-
'liarum Primores, & Præfecti *politiei* mul-
'toties ראש Capita, audiunt, Principes,
'exponente Michæâ, c. 3. 1. Quo ſenſu non
'eſt denegandum Principibus nomen Capi-
'tis, ſive in re Politicâ, ſive in Eccleſiaſticâ,
'dummodo ſupremū in utriſque Dominum
'Jeſum agnoſcant, & ſenſu longe *humi-*
'*liore* Ipſis proprium. Quid enim hoc
'ſenſu interſupremum ſub Chriſto *Guber-*
'*natorē*, *Moderatorem*, & *Caput* intereſt, ſi ex-
'cludas quā ante diximus Reverentiā No-
'minis? Quod tamen non ita dictum velim,
'ut Actum ullum in Foro *interno*, aut quem
'pure *Eccleſiaſticum* dicimus (Ordinis ſcil:
'aut Juridictionis) Princeps ſecularis ex-

ercere poſſit (uti verbis diſertiſſimis ſuffragantem habemus *Eccleſiam Anglicanam*, Art: 37.) * hoc enim nulli ferunt *Eccleſiæ* Canones, nulla piorum Principum exempla Commendant, quin omnia potius explodunt. Imo invaſionem iſtam in Uzzia Rege ſeveriſſime olim notatam ſimul & divinitus animadverſam legimus, 2 *Chron.* 26. à *comm.* 16. ad 22. Sed in Foro *externo*, & quoad regimen *politicum* *Eccleſiæ* Capita (ſenſu illo *abuſivo*) Chriſtiani Principes dicantur, i. e. ſummi ſub Chriſto *Præſides*, & *utriuſque Tabulæ Cuſtodes*, qui ſoli poteſtatem habent *Convocandi*, *Regulandi*, *Confirmandi* Synodos, earúmque *Canones*, & Decreta; *Eccleſiaſticorum* mores, ſi opus fuerit, pœnis civilibus Corrigendi. Dè His & hujuſmodi, breviter, ſed doctè admodum & dilucidè (ſuo more) diſſerentem vid. Reverendiſſ. BRAMHELLUM, Reſponſ. ad Oratiunculam glorioſam Meliterii Galli (Tranſfugæ) Sereniſſimo Regi noſtro (dum *Exul* ibi ageret) fidenter ſatis inſcriptã, à p. 37. ad 43.

Vid: Reverend. Bramhellum ubi paulo infra.

A. *At hoc vult Papa (ni fallor) ſe Caput eſſe* Univerſale *totius Eccleſiæ Militantis, in eámque poteſtatis* plenitudinem *habere* Apoſtolicam.

B. Multi

B. Multi verò opinantur eum neque membrum eſſe ſanum *Eccleſiæ*, nedum *Caput*, nedum *Univerſale*. Hoc Apoſtolorum praxi repugnare oſtenſum eſt ſuprà, quorum nullus in aliam poteſtatem, aut exercuit, aut vendicavit, nec conſequenter Succeſſoribus reliquit. *Nihil enim dat quod non habet.*

A. *Procedatur ad unitatem* Finis.

B. *Eccleſia* Univerſa unum hunc debet habere *finem*, ut Chriſto Capiti fideliter inſerviens, doctrinam ejus, & præcepta quæcunq;[a] ſedulò tueatur,[b] ab eo in ſolidum pendeat, adeóque[c] communem ſingulorum ſalutem, atque membrorum inter ſe[d] concordiam quàm diligentiſſimè promoveat.

[a] *Judæ* 3. 2 *Tim:* 1. 13. [b] *Col:* 2. 19. [c] *Rom:* 10. 1. 1 *Theſſ.* 2. 16. [d] 1. *Cor.* 1. 10.

A. *Perge ultimò ad Unitatem ex parte* Medii.

B. *Ea* quidem in ſyncera conſtat [a] *prædicatione verbi*, [b] legitimo *Sacramentorum*, & *Diſciplinæ* Eccleſiaſticæ uſu, in debitâ [d] Paſtoribus *obedientiâ*, & [c] *Charitatis* converſandæ ſtudio; quæ ſingula ad unitatem *Eccleſiæ* (qualem vult Articulus) haud obſcurè permultum faciunt

ciunt.[a] *Gal.* 1. 8. 9. *Phil.* 1. 16. 16. [b] 1. *Cor.* 11. 18. *ad* 23. 1. *Cor.* 12. 13. [c] 1. *Cor.* 5. 13. [d] *Joh.* 3. 9. 10. *Heb.* 13. 17. [e] 1. *Cor.* 12. 25.

A. *Quin circa hæc omnia non idem ſentiunt Eccleſiæ Dei.*

B. Id ſanè dolendum eſt; ſi verò *fundamentalia* Doctrinæ, & Diſciplinæ, retineant omnia, circumſtantiarum defectum ſupplere debet [a] vinculum illud Pacis, *Charitas. Eph.* 4. 3.

A. *Cur Eccleſia dicitur Sancta?*

B. Quoniam & peculiaris, & ſelectus eſt Deo populus, ſancto ſuperædificatur *fundamento*, ſanctis & nititur [c] *promiſſis*, & regitur *præceptis*, ſanctitatem denique (ſine qua nemo videbit Deum) tota & ſpirare, & ſectari debet. [a] 1 *Pet:* 2. 9. [b] *Eph:* 2 20. [c] *Pſal.* 105. 42. [d] 2 *Pet:* 2. 21. [e] *Heb* 12. 14.

A. *Cur demum dicitur Catholica?*

B. 1°, Ut Corpus integrum, reſpectu omnium ad ipſum pertinentium membrorum, quæ per varias paſſim mundi plagas diſperſa reperiuntur. *Job:* 11. 52.

2°, ex parte Fidei & Charitatis, quæ una inter omnes *Eccleſias* particulares eſſe

esse debet. *Eph.* 4. 4. 5. Unde *Ecclesiam* quamcunque singularem Orthodoxam antiquitùs Catholicam (imo & *Episcopum* quemvis) appellitari consuetum, eruditis nihil notius.

A. Quid itaque sibi vult Ecclesia Romana cum se Catholicam, (ad Ravim planè suam, nec minorem Audientium molestiam & naxeam) ubique venditat?

B. Meras scilicet vult *nugas*, & *mendacia*, (quibus, stulto se mancipate mundo, per tot secula saginatam constat) cum nullo nomine mereatur titulum *Catholicæ*, nedum eo sensu, quosibi impudenter arrogat.

A. Quid ita verò?

B. 1° Quoniam in permultis Fidem deseruit Catholicam, eamque olim *Romanam*, neque toties monita, & palam convicta redire sustinet, sed siculneo *Ecclesiæ*, & *Catholicæ*, semper repetito muliebriter nomine, obtecta (uti somniat) secura deliciatur, inque omnes alias, & multò puriores Ecclesias tyrannidem atrocissimam exercet, diúque nimis exercuit.

2°, Quia per *Ecclesiam* Catholicam aliam in orbe Christiano si (Displacet) agnoscit nullam

nullam præter ſeipſam, i. e. niſi quæ cum illâ (ſcilicet!) communionem indignam profitetur. Nota autem ſunt iſta Lippis, & Tonſoribus.

A. *Quid demum ex hoc Articulo eruendum?*

B. 1°, Nunquam in terris defuturam Eccleſiam Dei, quoad univerſa in cælum ſublata fuerit. *Mat.* 16. 18. & *cap.* 28. 20.

2°. *Extra Eccleſiam*, cum *una* ſit, & *Sancta*, & *Chriſti Corpus*, *nullam eſſe ſalutem.* Qui enim Chriſti membrum non eſt, fruſtra Chriſtum ſperabit Caput, & cui Chriſtus non eſt Caput, virtutem ab eo vitalem incaſſum ſomniat. *Col.* 2, 19.

3°. Sanctos eſſe oportere, quicunque locum ſibi in Eccleſiâ ſalutarem petunt. *Tit.* 2. 14. *Apoc.* 22. 15. Atque hoc ſatis indicat, qui mox optimè ſequitur Articulus.

Art.

Art. 9. [Credo] Communionem Sanctorum.

A. *Quotuplices sunt Sancti.*

B. Duplices, 1° quoad rem, & *Judicio Dei*, iique vel [a] *perfecti* in Patriâ, vel [b] imperfectionibus variis laborantes in *via*. [a] *Heb.* 12. 23. [b] *Phil.* 3.12. *Jac.* 3.2.

2° quoad *apparentiam*, sive speciem externam, & Judicio *Charitatis* ad quam quidem sanctitatem non requiritur *Efficax* vocatio, *Cor novum*, & *vita nova* (sicut ad priorem) sed sufficit *Evangelii Professio*, & *externa* præceptis ejus obedientia; eatenus scilicet, ut de eâ bene sperare Charitas & possit, & debeat, ac quod reliquum est. Cordium Scrutatori relinquere. Ita Sanctos passim compellat Paulus in Epistolarum Inscriptionibus singula *visibilis* Ecclesiæ membra (eos scilicet qui Sancti *vocati* sunt, κλητοὶ ἅγιοι) per vocationem sive *internam*, sive solam *externam* (utrosque enim eâdem voce sæpiùs complecti liquet) ut *Rom.* 1. 7. 8. 1. *Cor.* 1. 2. & alibi.

A. *Quin Apostolus loco posteriore illo ad Corinth.*

Corinth. sanctificatos *vocat ad quos scribit, videtur itaque quod ad vere conversos tantum pertineat.*

B. Ita quidem ibi compellat (ut sæpe alias) ex judicio *Charitatis*, simulque ex suâ Christianorum *professione*, in quam Baptizati sunt. Sic enim & [a] *mortuos, consepultos, & resuscitatos* cum Christo, *induisse* Christum sæpe dicit, quicunque in illius Albo nomina scripsissent, non quod de singulis certò hoc sciverit, sed quod de nemine non bene speraret, quodq; ista de se profiterentur ipsi. [a] *Rom.* 6. 3. *ad* 12. [b] *Col.* 3. 1. *Gal.* 3. 27.

A. De quibus autem Sanctis intelligit Articulus?

B. Quoad aliquam *Communionis* partem de utrisque (uti mox patebit) sed præcipuè de veris, & sine dolo Sanctis. Huc referri potest Character quo Timotheum notat paulus. *Philo.* 2. 19. 20, 21.

A. Quotuplex est Sanctorum Communio?

B. Duplex, interna, & externa.

A. Quænam est Communio illa interna?

B. 1°. Cum Patre, 1. *Joh.* 1. 3. cum quo communionem habent *Filiorum*, qua prærogativa major *creaturæ* concedi non potest

teſt. 1 *Joh.* 3. 1.

Eodem ſpectat Petri illud, *Ep.* 2. 1. 4. ubi dicit eſſe κοινωνοὺς θείας φύσεως, *participes naturæ Divinæ*, uti vulgo redditur; ego autem (cum debita ſubmiſſione) interpretandum cenſerem, *communionem habentes cum Deo*, Nam θεία φύσις idem eſt quod θεὸς, ſicut πᾶσα φύσις θηρίων, &c. *Jac.* 3. 7, idem eſt quod πᾶν θηρίον. Κοινωνὸς autem cum Genitivo, *ſimpliciter*, & ſine Præpoſitione, communionem cum aliquo notat, uti κοινωνία τοῦ πνεύματος in Benedictione Apoſtolica, idem eſt quod μετὰ πνεύματος, κοινωνὸς τῶν δαιμονίων, 1 *Cor.* 10. 20. idem quod communionem habentes cum Dæmoniis, κοινωνοὶ τῆς ἄνω κλήσεως, *Heb.* 10. 31. *Socii*, vulgata, & Beza, [i. e. *companions*, Noſtra] *communionem habentes*. Hoc autem cenſui notandum, quo occurrerem Fanaticorum quorundam deliriis, qui ex eo Textu præcipuè (peſſimè intellecto) ſe *Deificari cum Deo*, & *Christificari cum Christo*, corgicantur.

2o, Sanctorum iſta communio eſt cum Chriſto, ut Capite. Hæc autem tanta eſt, ut omnis cum Deo ſanctiſque ipſis habitæ communis ſit quaſi *Radix* & Fundamentum, cum extra Chriſtum nemo ſit aut acceptus Deo, aut charus intimè ſanctis confratribus;

confratribus. [a] *Eph.* 1. 6. *Joh. Epist.* 2. 1. 2. 1. *Joh.* 5. 1.

3°. Cum Spiritu Sancto in eis [a] *habitante*, sub [b] cujus proximè auspiciis totam peragunt vitæ præsentis militiam, & [c] plusquam victores fiunt. [a] 1. *Cor.* 6. 19. [b] 6. *Eph.* 3. 16. [c] *Rom.* 8. 37.

4° Cum beatis Angelis, qui peccatoris conversione *lætantur in Cœlis*, quosque salutis hæredibus [a] *Ministros* constituit Deus. [a] *Heb.* 1. *ult.* *Psal.* 91. 11. & *Psal.* 34. 7.

A. *Perge ad communionem Sanctorum inter se, dum hic sunt in via (nam de Cœlitibus aliàs dixisti*, Enchir. c. 8.)

B. Externa, est.

1° Ratione *Bonorum* & *facultatum*, quas urgente Rerum necessitate cum Fratribus [a] communicare debent, prout illis largitus est Dominus, utque pietas & prudentia Christiana dictabit. [a] *Act.* 2. 44. 45. *Gal.* 6. 10. 2. *Cor.* 8. per totum.

'De fanaticâ Anabaptistâ communitate, 'vid. Enchir. Cap. 19.

2° Ratione *publici* in Ecclesiâ [a] Cultus divini, ad quem omnes uno corde animoque convenire debent; præcipuè verò cernitur hæc communio in pio & concordi

di [b] *Sacramentorum* usû, omniúmque [c] maximè in sacra *Synaxi*. [a] *Heb*: 10.25. 1 *Cor*: 11.20. *Act*: 2. 42. [b] 1 *Cor*: 12: 13. [c] 1 Cor: 10. 16.

3°, Cernitur hæc Communio in omnibus mutuæ [a] *charitatis* officiis, ad [b] mortem usque (si opus fuerit) Sanctorum commodo subeundam, inque sociali cum illorum [c] & Gaudio, [d] Infirmitatibus, atque angustiis, Sympathiâ. [a] *Gal*: 6. 10. [b] 1 *Joh*: 3. 16. [c] *Rom*: 12. 15. [d] *Gal*: 6. 2. 2 *Cor*: 11 29. *Rom*: 15. 1. *&c.*

A. *Quomodo autem inter Sanctos hæc alitur Communio interna?*

B. Per [a] *Verbum* & *Preces*, & *Cœnam Domini*, [b] vitæque Christianæ exemplum, simúlque [c] *privatæ* (uti fert occasio) ad omne genus Pietatem, & Dilectionem præcipuè fraternam, incitamenta. [a] *Act*: 2.42. 46. [b] *Heb*: 10.24,25. [c] 1 *Thess*: 1.7. *Phil*: 3.17.

A. *Quid hæs nobis suggerit Articuli clausula?*

B. Permulta quidem, eáque momenti gravissimi.

A. *Die igitur præcipua.*

1°, Quandoquidem cum ipso Deo, Patre,

Filio, & Spiritu Sancto, communionem miseri peccatores habemus, summopere nitendum est, ut [a] gratissimus tanti beneficii sensus, præcordiis intimis æternum infixus hæreat, nósque eo vitæ [b] sanctimoniâ dignos (quà licet) constanter præstemus. [a] 1 *Col:* 1.12,13. [b] 1 *Pet:* 1.15, 16. 1 *Joh:* 1. 6. 2 *Cor:* 6, 14, 15.

2°, Cum Sanctorum quoque inter se sit Communio tum interna, tum externa, [a] sine quâ communionem cum Deo habere frustra est qui sperat, hinc discimus Homini Christiano antiquius nihil esse oportere, quam ut utramque modis omnibus legitimis colat, & conservet. Id autem fælicius præstando haud fuerit, quam si [b] pietatem infucatam cum intensissimo *pacis Ecclesiæ* studio sectetur. [a] 1 *Joh:* 4.8.20. [b] *Heb:* 12.14. 2 *Cor:* 13. 11.

3°, Hinc autem colligitur, quam grave sit Hæreseos aut Schismatis crimen, quorum altero evertitur *Fundamentum* Fidei, altero haud parum periclitatur.

A. *Cum tam gravia, uti dicis, sunt illa Crimina, operæ pretium fore arbitror, sibreviter utcunque depingas, & 1° quid sit Hæresis?*

B. Haud ita expeditum videtur [a] ex Scripturis

Scripturis definire, quid sit; at sensu, qui diutissimè obtinuit in Ecclesiâ, describi sic potest, *Hæresis est error in Fundamento Fidei* [a] *obstinatus.* [a] *Tit.* 3. 10.

'[a] Nempe non admodum frequens est 'scripturis αἱρετικὸς vocabulum, quando in 'vitio ponitur, ubi autem occurrit, nul-'lam inde peculiarem descriptionem, u-'ti nunc usurpatur, haurire licet, nisi ex 'parte, idque ex loco proximè citato, sed 'de hoc statim fusiùs.

A: *Quando dicitur Error in Fide?*

B. Cum quis circa Doctrinæ [a] Christianæ *substantiam* malè sentit, & maximè si contra Fidem in Symbolo Apostolico comprehensam; ceu id *explicitè* fiat, ceu *implicitè.*

'[a] Tota quidem Scriptura cum quali-'bet sui parte objectum dicatur Fidei 'Christianæ *materialiter*, ut ὀνόματα, & 'Verbum Dei: ita Lamechum fuisse Po-'lygamum, octo tantùm personas in Di-'luvio Noachi servatas, & id genus in-'numera. Quique istis (sufficienter pro-'positis & revelatis) fidem detrectat; 'pro Christiano habendus non est, quippe 'qui non recipit testimonium Dei. 'Quin & multa in sacro codice descrip-'ta, veluti *Chronologica*, *Geographica*, *Ge-*

'*nealogica*, & his similia minùs apertè 'propositis.) à Doctis disputari solent ci-'tra ullam Fidei violatæ dicam. Eadem 'est & Rerum adiaphorarum ratio,(cæte-'ris semper paribus) quæ ad Fidei aut 'Religionis *Substantiam* naturâ suâ intrin-'secâ non omnino pertinent; proindè 'qui in his tantum dissenserit,(etsi fortasse '*schismatis* potest) Hæreseos minimè tene-'bitur. Ea itaque sola in Censum Fidei 'Christianæ, quà talis, & quoad *substanti-'am* veniunt, ex quibus ejusdem Fidei 'Corpus *integrum* constituitur, & sine 'quibus mancum erit & mutilatum.

A. *Quem verò Errorem vocas in Fundamento Fidei?*

B. Fundamentum Religionis Christi-ftianæ (quà talis) unum omnino prædicat Apostolus, Viz: *Jesum Christum*, 1. *Cor.* 3. 11.

A. *Quid inde sequitur?*

B. Hoc scilicet, quòd quicunque aut naturam ejus *Divinam* aut munera *Mediatoria*, aut Doctrinam Pietatis (quocunq; pacto) scientes volentes everſum eunt, in Fundamentalibus Fidei errare censendi sunt qui secus quocunque teneantur erro-

re

re alio fundamentaliter non errant circa Fidem ſtricte Chriſtianam.

'Mirum eſt, quos hic in vacuo Theatro 'triumphos de Noſtris agunt nugones 'Pontificii, ad *Fundamentalia* ſcilicet ex- 'hibenda noſtra, nos ſemper magno (ſed 'inani) hoatu provocantes. Exhibemus 'in genere, & ſemper exhibuimus. Multò 'magis eos deceret Rationibus agere, 'quam *clamoribus*, qui ſi terrorem forte 'incutiant imperitis, certè Riſum pro- 'pinant Cordatis. Suum interim ipſorum 'fundamentum unicum ſatis ingenuè pa- 'lam fecerunt (non *Jeſum Chriſtum* ſed) '*Pontificem Romanum*. Loquatur pro cun- 'ctis, (quanquam nec ipſi pro mutis ha- 'beri ſuſtinent) Doctor eorum Ange- 'licus, 2ª 2æ qu. 11. Art. 1. ubi Ca- 'tholicos, ſi accideret, circa aliquos 'Religionis apices haud optimè ſentien- 'tes, hoc (quæ ſua eſt humanitas) tegit 'pallio, quòd ſcilicet *Hæreticis* annume- 'randi non ſunt, quia non habent Ele- 'ctionem (ea nimirum Hæreſeos vocabu- 'li vis eſt radicalis) *contradicentem Ec- 'cleſiæ* Doctrinæ: & mox, poſtquam autem 'eſſent auctoritate *Eccleſiæ* univerſalis 'determinata, ſi quis tali ordinationi per- 'tinaciter recuſaret, Hæreticus cenſere-

'tur, quæ quidem authoritas principali-
'ter reſidet in *ſummo Pontifice*. Habeant
'ſibi itaque fundamentum Pontificii ſum-
'mum ſuum *Pontificem heſternum*, ſufficit
'nobis noſter, Pontifex ille *Maximus, Æ-*
'*ternitatis Pater*.

A. *Quando Error iſte pro obſtinato eſt habendus?*

B. Cum ita radices egit, ut non obſtantibus Eccleſiæ (potiſſimum verò Univerſæ) *Conciliaribus* Decretis, quin et *Monitis* Paſtoralibus fruſtra *repetitis*, aliiſq; piis ad ſanã mentem conducentibus remediis, ſine fructu adhibitis, evelli non poſſit, [a] *Tit.* 3. 10. Huc inſuper à minore facit locus iſte, *Mat.* 18. 17.

'Hæreſis, cui *Secta* Latinè reſpondet,
'ab electione (ἀπὸ αἱρέσεως) nomen habet;
'quod unuſquiſque ſibi eam eligat *diſci-*
'*plinam* (aut *vitæ rationem*) quam putat
'eſſe meliorem, uti non male Thomas,
'2ª Secundæ, qu: 11. Art. 1. Hinc apud ex-
'teros (ſive Ethnicos) Scriptores rariſſi-
'mè, aut nunquam (ut opinor) in vi-
'tio poſitum deprehenditur. Secta Cice-
'roni idem eſt quod *Ratio & Inſtitutum*
'*vitæ*, *Doctrina*, *Diſciplina* Magiſtri ali-
cujus

‘cujus Philoſophi, ut Secta *Academico-*
‘*rum*, *Peripatet*: &c. Stoicorum Sectam
‘aſperrimam & ſeveriſſimam dixit Quin-
‘tilianus, imo & Secta *Chriſtianorum* haud
‘Semel apud Tertullianum reperitur.
‘Αἵρεσιν de Philoſophorum Sectis uſurpant
‘Græci, & de Judæorum Joſephus, ἐπὶ
‘τὸν χρόνον τοῦτον τρεῖς αἱρέσεις ἦσαν Ἰουδαίων ἦσαν, An-
‘tiqu. l: 13. c. 9. quas etiam τρεῖς φιλοσοφίας
‘vocat. l. 18. c. 2. ipſo initio. Inter iſtas
‘autem occurrit Phariſæorum *Secta* om-
‘nium celeberima, quam multis ille præ-
‘coniis ornat, quamque Paulus Ipſe *ἀκριβεστάτην* pronunciavit, Act. 26. 5. &
‘quanquam ex ejuſdem Apoſtoli verbis
‘(Act. 24. 14.) viderentur Judæi nomen
‘ſimplex per opprobrium contra eum (a-
‘deóque totam profeſſionem Chriſtia-
‘nam) intorſiſſe, ubi dicit *Secundum vi-*
‘*am iſtam quam vocant Hæreſin*, *confiteor*
‘*me Deum patrium colere* &c. prudenter
‘adjectum diſſimulavit Paulus, ad invidi-
‘am ſcilicet vocabuli tunc temporis a-
‘moliendam. Judæi enim per Tertullum
‘non Hæreſeos ſimpliciter, ſed adjecto
‘*Nazaræorum* (i.e. Chriſtianorum) ſtigmate,
‘reum poſtularunt, v. 5. verum in ſacris
‘epiſtolis Vox pejus audit, ita ut exinde
‘non amplius ſit *mediæ*, ſed *peſſimæ*, in

Ecclesiâ significationis: *oportet esse Hæreses*, inquit Paulus. 1. *Cor:* 11. 19. (de iis in sensu sequiori verba faciens) quas etiam in Nigro isto operum Carnis posuit, *Gal* 5. 20. Hebræi מינים Hæreticos vocant; non ex Mane, sive Manete, quanquam Glossatorem in Talmud. Hierosol. citat Cl. Buxtorfius מינים appellantem, qui credunt duos esse Deos, (ista autem notissima Manichæorum Hæresis) sed ex Hebræo מין Species, quod scilicet Hæresis sit *electa* quædam vitæ, Religionis, aut Instituti species, ab aliis ipso *nomine* separata. Secta autem ista inquit Buxtorfius, proculdubio fuit *Bajethosæorum*, (à quodam Bajethoso) & *Sadducæorum*, sive *Karræorum*, (illi à *Sadoc*; Hi, quod παρεσχεδασθαι Pharisæorum respuerent, & soli Scripturæ, vel ut alii, Pentateucho adhærerent, nomen traxere) Sadducæos autem Mane multo antiquiores fuisse constat. Quin אפיקורוס *Epicurus*, vel *E*picuræus, apud Rabbinos Hæræticum notat, quo Sectam impurissimam designant, & in specie nomen utrumque Christianis, pro summo in eos odio accommodant. Sed de vocabulo satis, vereor ne nimium. De Reipsâ, difficilis est (uti diximus) Hæreseos à schismate ex

Scripturis

'Scripturis distinctio, quæ tamen usu *Ec-*
'*clesiastico* satis internoscuntur.

A. *Jam ostende quid Schisma sit?*

B. Schisma est peccatum, quo quis (utcunque circa Fidem Orthodoxus,) *apertè & sponte* suâ, *pacem* atquè *unitatem* impetit Ecclesiæ. 1. *Cor*; 12. *à comm.* 13. *ad* 28.

'Schisma Divisionem sonat, & oppo-
'nitur *Unitati*, sicut Hæresis *Fidei*. U-
'nitas autem Christianorum vel est cum
'Capite Christo, vel cum Socialibus *Mem-*
'*bris* ejusdem Corporis. Illam per Fi-
'dem propriè habent, hanc per Chari-
'tatem, utramque per *Spiritum* illum vi-
'talem Christi, ut Causam proximè effi-
'cientem. Hinc itaque duplicem oppo-
'ni divisionem manifestum est, alteram
'Hæreseos, contra Fidem; alteram Schis-
'matis, contra Charitatem, uti satis
'explicuit Thomas, 2ª Secundæ. qu. 39.

A. *Quotuplex est Schisma?*

B. Duplex, *inchoatum*, & *completum*; illud est hominis *inquieti*, sed in externâ Ecclesiæ Communione adhuc manentis, hoc autem eam aperte *deserentis*.

A. *Cum*

A. *Cum nova hæc videatur distinctio, uberiùs explicatam velim.*

B. Et Ratione fulcitur, & Scripturis.

A. *Quomodo Ratione, Schismaticos scilicet posse dici, qui nondum se separarunt ab Ecclesiâ?*

B. Quoniam qui sponte & *sine causâ* graves in Ecclesiâ turbas cient, *Unitatis* Ecclesiæ, eo ipso, quantum in se est, scissuram faciunt, etsi non *discessionem*; quemadmodum in Rep. *Seditiosi*, qui nondum in apertam prorupere rebellionem.

A. *Quomodo autem ex Scripturis hoc evincitur?*

B. Id clarè docet Apostolus. 1. *Cor.* 11. 18. verba hæc sunt, συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν: Ibi schismata habemus inter eos, qui tamen in *eadem* Ecclesiâ (sive cætu Fidelium) convenerunt: imo, (quod urget fortiùs,) ad ejusdam *Sacræ Cænæ* consortium, uti constat ex v. 20. &c. Ita quoque usurpatur vocabulum, etsi in re paullò magis alienâ, *Joh.* 7. 43. *&* c. 9. 16. c. 10. 19.

A. *Ad*

A. *Ad Schiſma itaque* Completum *requiritur* actualis *& nulla cogente* neceſſitate *ab Eccleſia* diſceſſio.

B. Sic, quales ea fuit Illorum qui ſe ſepararunt, Judæ 19. qui *exierunt* ab Eccleſia (non *fugati* ſcilicet, ſed *fugitivi*) 1. *Joh.* 2. 19.

A. *In quo autem cernitur hoc Sciſma?*

B. 1° In obedientiæ Paſtoribus debitæ apertâ renunciatione, *Joh. Epiſt:* 3. 9.

2°, in *Cætuum* Eccleſiaſticorum, eóque pertinentium *Officiorum*, aperto contemptu & faſtidio, ubi nihil ſaltem obverſatur, quod Comunionem impedire debeat: [b] Præcipuè verò ſi in ſacra *Synaxi*, cui *Communionis* nomen tribuit Apoſtolus, Communio reſpuatur[a] *Heb.* 10. 25. [b] 1. *Cor.* 10. 16.

'Certe non de nihilo Scriptum eſt quod 'Apoſtoli (quanquam jubente Chriſto) 'perſtabant *ſimul eodem cætu* congregati, 'quodque haud aliter illapſus eſt eis Spi-'ritus ille Promiſſionis Act. 2. quod to-'ties Monſtrum illud Separationis fugere 'hortentur Chriſtianos, eóque fine tam multa

'multa *ad tempus*[a] tolerarunt cum Reli-
'gione ex amuſſim minime congruentia,
'quod neminem à cætibus Eccleſiaſticis,
'ſive ob Perſonarum corruptelas, etſi quan-
'doque [b] graves, ſive ob malam inſtituti-
'onum Chriſti [c] *adminiſtrationem* abſtinere
'jubeant, quin ſingulos potius ad *unum*
'*Cor*, *unam mentem*, *linguam* denique u-
'nam extimulant. [a] *Act.* 15. 29. *Rom.* c. 14.
'& 15. [b] 1. *Cor.* 3. 3. & c. 15. 12. [c] 1. *Cor.* 11.
'18. *ad* 23.

A. *In quo* 3° *cernitur Schiſma?*

B. In eo potiſſimum, ubi quis non ſe modò ab Eccleſiâ ſeparaverit, ſed alios quoque poſt ſe *Diſcipulos* & Proſelytos undecunque collectos trahat. *Act.* 20. 30. 2. *Tim.* 3. 6. *Rom.* 16. 17. 18. *Joh. Epiſt.* 3. 10.

A. *Quid itaque cenſendum eſt de ſeparatione Eccleſiæ Anglicanæ à Romana, nonne iſta erat Schiſmatica?*

B. Si Schiſmaticus ſit, *qui cauſam dedit*, fatendum eſt Schiſmaticam fuiſſe, ſed ex parte *Romanenſium*, non Eccleſiæ *Anglicanæ*, quam illi fugarunt, nec illa aliter fugiſſet. Idem quoque quoad ſubſtantiam de cæteris Eccleſiis Reformatis di-

ci

dici nihil impedit quanquam illis pleriſque multum iſtius defuit *Decori*, *Ordinis* & *Authoritatis*, quâ res apud nos agebatur.

A. *An ullos vero compulit Eccleſia Romana ad ſeceſſionem ab eâ faciendam? nonne contra potius* (*ut matrem decuit*) *ſuos perpetuò liberos* monuit *in Unitate Eccleſiæ permanere, & abeuntes modis omnibus etiam ſeveriſſimis, ut Magiſtram decuit, revocare ſtuduit.*

B. Non verbo quidem aut Decreto aliquo Reformatos abire, & ſuas ſibi res habere juſſit, ſed communionis ſuas leges *moraliter impoſſibiles* (turpes volo & impias) ferendo, ipſam quoque *Communionem* impoſſibilem fecit, nec ſine peccato, datâ Diſcedendi occaſione exercendam.

A. *Quas impias Communionis leges objectas?*

B. Ut nempe Pontificis Romani ſe quilibet *mancipia* agnoſcerent, ejus unius *nutum* (maxime in Cathedrâ *ſomniantis*) pro Oraculo haberent, Idololatriis & Superſtitionibus innumeris, ſi non *manu*, ſaltem *praxi* ſubſcriberent. Has & hujuſmodi Communionis leges minimè ferendas (ſaltem ubi elabendi via ſe obtulit,

tulit legitima) pietas Christiana facilè dictabit.

A. *At fortasse* (Sororum *Meretricum more,*) *quo à se Schismatis infamiam depellat, prior objicit.*

B. Verissimè, nullibi enim magis quam Romæ (à multis retrò seculis) regnavit Schisma, quæ scilicet (ut taceamus *domesticorum* Catalogum bene longum ab omnibus discessit Ecclesiis antiquis (Apostolicis & aliis) Caput Universæ Ecclesiæ suum obtrudendo Pontificem, Articulos Fidei, Priscis saltem *incognitos*, si non *Hæreticos*, cudendo (quorum utrunque Schisma in se *formaliter* includere manifestum est) & Communionem suam, nisi istis legibus suis, denegando, non solum ipsa est Schismatica, sed omnium in Orbe Christiano Schismatum (quæ ad se habito respectu ista vocat) Parens una fæcundissima, atque alma Nutrix.

'De Ecclesiæ Rom. Schismate videsis 'eruditum Bramhellum Archiep: tracta-'tu singulari. Usserium ~~de ord~~ Concio-'ne in *Eph.* 4. 13. *Morton Apol. Cathol. l.* '2. *c.* 5. 6. & fusius, Magnæ Impostura, 'c. 15. Chillingworthum acutissimum, 'Part. 1. c. 5. aliosque passim.

A. *Dic*

A. *Dic breviter mala Schiſmatis.*

B. Peſſimum eſſe Crimen indicio eſſe poteſt quod nullum Apoſtolis diligentius depinxerunt, à nullo Fideles magis abſterreant, ut cui indulgentes,

1° Pro *carnalibus* habendi, 1. *Cor.* 3. 3. *Judæ.* 19.

2°, *Chriſti* ſanctiſſimo *Corpori* vulnus impingunt, & quantum in ſe eſt Unitatem abrumpunt. 1. *Cor.* 1. 13.

3°, *Evangelium Sannis* Improborum & Infidelium exponunt, *Jac.* 2. 7. *collat. cum v.* 2. 5. Hoc enim eſt *ambulare ut Homines*, non ut Communionem habentes cum Deo, & Sanctis ejus.

4°, Nec minimum ex Schiſmate periculum creatur Reip. uti dictat experientia.

5°, Dulcedinem *Religionis* quæ ex membrorum communione per charitatem oritur, aut tollit, aut corrumpit: Cum enim in vita communi nihil ſit infucatâ Amicitia Jucundius, nulla Amicitia jucundior *Chriſtianâ*, vita utique *Schiſmate* venenata vitalis eſſe vix poteſt.

6°, Haud impune crimen ſuum feret *Schiſmaticus*, [a] Eccleſiæ cenſuris expoſitus, & Iræ *Dei*, [b] Ro. 16. 17, 2. *Theſſ.* 3. 6. (*à minore*) *Apoc.* 2. 20.

[a] Huc

'Huc ducit Schisma, etsi (quod sperare 'jubet Charitas) ex intentione sese sepa-'rantium haud rarò *per accidens*. Absit 'enim, ut tot mala multò gravissima qua-'si Scopum sibi omnes præfigere Statua-'mus: *Discrimen* ponendum monuit A-'postolus, Judæ 22, qui per totam omnino 'Epistolam ad hoc ipsum argumentum col-'limat, etsi rebus à mero Schismate alienis 'interspersum. Monendi tamen & Roman. 'di sunt omnes in visceribus *Christi* qui-'cunque eum ex animo diligunt, ut post-'habitis quibuscunque aut *præjudiciis*, aut 'privatis suis *affectibus* & *Commodis*, viam 'pacis discant & sectentur, adeoque Com-'munionem Sanctorum omnistudio pro-'moveant.

Art.

Art. 10. REMISSIONEM Peccatorum.

De Peccato, ejuſque Remiſſione per Fidem in Chriſtum egimus in Enchir. cc. 6. 7. &c.

A. *Cujus eſt remittere peccata?*

B. Ambigua phraſis eſt, proinde cautius diſtinguenda. In peccato ſiquidem duo ſpectari poſſunt, 1° culpa, 2° pœna; utriuſque reſpectu dicitur Remiſſio: Pœna autem vel eſt ex parte *Dei*, quæ eum proximè reſpicit ut *Judicem*, atque hæc iterum vel eſt *temporaria*, & externa, vel *Spiritualis*, & *æterna*: ex parte *Hominis* Remiſſio vel eſt *publica*, à Superiore, ſive politico, ſive Eccleſiaſtico indulta, vel privata à quolibet Homine ſingulari cui facta eſt injuria.

A. *Ex hoc diſtinctionum apparatu quid moliris?*

B. Rem verbis involutam enucleatiùs proponere: Deus enim & Homo (ceu publici, ceu privati ordinis) dicuntur utrique in Scripturis remittere peccata, at ſenſu multùm diverſo, qui ſine diſtinctionibus explicari commodè vix poteſt.

A. *Aggredere, & si vales, incipias à Deo; nonne Ipse solus remittit Peccata?*

B. Solus indubè, vi *propriâ, originali, & autocratorica*, remittit

1° *Culpam*, sive annexum reatum, cum enim culpa sit macula interna cordis, nulla ei eluendæ Creatura sufficit (Cor enim novum est [a] donum Dei, & Christi [b] sanguinis effectum) cum insuper omne peccatum sit contra Legem unius Dei (propriè saltem & primariò) necesse est ut ad Forum quoque divinum ejus remissio proprie dicta pertineat [a] *Ezek.* 36. 26. [b] *Heb* 9. 22. 26.

2° Solus Deus remittit pœnam in Lege Divinâ præscriptam, nam ejus unius est tollere cujus est imponere. Nemo certe Hominum hanc sibi potestatem arrogat, ut ab angoribus Conscientiæ, ab ærumnis hujus vitæ, à morbis, aut morte quenquam immunem esse jubeat.

A. *Qualis autem est Remissio peccatorum* Humana *in genere.*

B. Ea non formaliter & directe extenditur ad actus *interiores*, quos ut cognoscere non potest, ita neque punire aut remittere, indirecte tamen & reflexè, quatenus

tenus ſcilicet actus illi interni ſe produnt externis, ab Homine ſuo modo puniri poſſunt aut remitti. vid. Suares. de Leg. c. 4. c. 12.

A. *Explicetur quod dicis aliquâ inſtantia.*

B. Furtum lege prohibetur humanâ (æquè ac Divinâ) i. e. actus furandi *externus*, à quo ſi quis abſtineat, etſi *voluntas* peccatum admittendi haud deſit, Lege iſta minime tenetur; ſin pravam ſe voluntas actu externo prodiderit, punitur actus iſte *directè*, & voluntas unde manavit, indirectè: & negativè ſimiliter, ſi condonatur Actus, eadem ſit *indirectè* gratia voluntati, ut Cauſæ.

A. *An vero Forum politicum culpam remittit, vel ſolummodò pœnam, & qualiter?*

B. Hæc duo parum aut nihil diſtare videntur in iſto Foro. Sufficit itaque quod magiſtratus pœnam omnem poſſit remittere ſive in Legibus [a] pure pœnalibus (ſiquæ tales ſint) ſive non, ad quam Lex eius obligat, qui tamen cum pœna legi divinæ ex eodem delicto debita nihil commune habet. [a] De legibus purè pœnalibus, An, & quales ſint, vid. Suares de Leg. c. 4. 5. 6.

A. *Perge nunc ad potestatem Ecclesiasticam, Pastoribus scilicet Ecclesiæ datam, Joh.* 20. 23. *collat. cum Mat* 16.19.

B. *Potestatem Clavium* intelligis, sive *ligandi, & solvendi* (ut *S.* Matthæus) *remittendi & retinendi peccata*, uti Johannes; quæ omnia eodem respiciunt.

A. *Qualis autem est ista Ecclsieæ potestas remittendi peccata?*

B. Est potestas tantum *ministerialis* à Christo delegata, cum [a] *Authoritate* tamen *sub eo* exercenda. [a] 2. *Cor.* 10. 8. *Tit.* 2. 15.

A. *In quo autem exercetur ista potestas?*

B. 1° Magis generaliter in *Evangelii* prædicatione [a] *authoratitivâ*, quâ Regnum Dei Credentibas aperitur, incredulis occluditur, & verbum his odor *mortis*, *Vitæ* illis, 2. *Cor.* 2. 16. [a] *Joh.* 20. 21. 22. 23.

2°, *Specaliùs*, Remissio ista pœnarum *Ecclesiasticarum* in relaxatione, vel totali condonatione Pœnitentibus indulta cernitur. 2. *Cor.* 2. 6. 8. de hac fusè Hammondus noster ὁ μακαρίτης, tractatu eruditissimo de *potestate Clavium*, cap. 4. per totum ferè.

3.°

3°, in absolutione peccatori *Confesso & Resipiscenti* (quantum rationabiliter judicari poterit) à sacerdote sive ministro *occasionaliter declarata, pronuntiata* & particularius applicata, idque cum *authoritate*, nulli Laico, aut inferioris subsellii Clerico permissa *Jac.* 5. 14. 15. ἐπιτιμία ἐυχῆ.

A. *Quò autem spectat ista absolutio authoritativa?*

B. Plurimum certe valet ad consolandas sub peccati onere laborantium conscientias, qui si vere resipiscant, æque rata erit in cælis Sacerdotalis absolutio, ac si Christum ipsum audirent pronuntiantiantem, *Bono sis animo, remittuntur tibi peccata tua.*

A. *Quid vero si Privatus aliquis iisdem quoque Confessionis & pœnitentiæ legibus consimiliter absolveret?*

B. Faceret nimirum quod sui *muneris* non est, cuique Deus talem nullam promisit *benedictionem*

An ad absolutionem ministerialem requiritur Confessio (quam vocant) Auricularis *illa, quâ singula insusurrantur in aurem Sa-*

cerdotis peccata graviora cum ſuis quoque ad unam omnibus circumſtantiis, quantum quidem confeſſuro (ſcrupuloſiſſime vitam excutienti;) ſuccurrunt?

B. Id plane jugum grave, quod peccatoribus nullibi impoſuit Deus; ubi etiam ſæpiſſimè tales audiendæ ſunt Confeſſiones quas nullarum aurium (niſi talium) ferret modeſtia. Quin illis *clavem* eſſe furtivam conſtat, quà ſecretiora Principum, & Rerump. ſcrinia recludant, adeóque omnes mancipia ſibi devotiſſima habeant.

A. *An ergo nullius eſt uſus privata in Aurem Sacerdotis Confeſſio?*

B. Imo permagni eſſe poteſt, ſi libera; idque ſauciata poſtulet Conſcientia, non tantum Articulo *Mortis*, ſed alio quocunque tempore ſecundum prudentiæ Chriſtianæ dictamen. & dolendum ſane tam dulce Animi peccato lancinati levamen, tam ſalutare remedium uſque adeo nunc dierum neglectui habitum.

A. *Quo demum ſenſu dicantur privati remittere fratribus delicta?*

B. De eo in expoſitione Precationis Dom. ſuo loco dicetur.

A. *Ex*

A. *Ex divina peccatorum Remissione quid discimus?*

B. 1°, Remittenti Deo deberi nos, nostraque omnia. 1 *Cor.* 6. 19.

2°, Tanti sensum beneficii nobismetipsis applicati *Verbo*, *Precibus*, *jeiuniis*, de Corde *vigilantia*, adeóque piis quibuscunque mediis augere indies & amplificare studeamus. 2. *Pet.* 1. *à.* 5. *ad* 12.

3°, Ne duri simus in peccantes contra nos Fratres. *Mat:* 18. 32. 33. *Eph.* 4. 32.

Art. 11. RESURRECTIONEM CORPORIS. De hoc Articulo vid. Enchirid. c. 24.

A. *Cum Carnis Resurrectionem non modo riserunt Ethnici, & Hæretici aliquot vetustiores (etiam Apostolorum tempore,) quin & circa eam valde lasciverint (pudet dicere) recentiorum quorundam, qui tamen se Christianos appellitant, ingeniola; esne talis Corporum Resurrectio in se* impossibilis?

B. Nequaquam, quia etsi non potest fieri viribus naturæ, potest tamen virtute omnipotentis Dei: *Heb:* 11. 19. Imo & hoc futurum tota clamat Scriptura.

A. *Sednonnullis (quæ illorum est sapientia) contradictionem sapit, idem numero Corpus resurgere. Verum*

B. 1°, Si contradictio tali subsit Resurrectioni, multò magis Creationi ex nihilo, quam tamen Adversarii non ita in dubium hactenus vocarunt.

A. *Ostende vim Consequentiæ.*

B. Scilicet minus est, ex aliquo aliquid facere

facere, ex eâdem materiâ (per mortem disjecta & dissolutâ) rursus quoad *omnia* eandem, quam ex nihilo omnia. Si hic itaque nulla sit Contradictio, nedum illic.

A. *Existimas itaque integram manere semper Corporis omateriam?*

B. Planè quoad ipsam *substantiam*, licet multis mutationibus accidentalibus obnoxiam. Neque enim ulla est annihilatio, nisi per eandem virtutem quâ facta est Creatio. Si itaque probetur nullam fieri Corporis mortui quoad subsistantiam *annihilationem*, nihil habet absurdi, partes quoq, dissipatas iterum coire posse in *eumdem* plane *statum, situm, ordinem*, atque *figuram*, non magis quam Hominem in extremis mundi partibus agentem, rursus (& hoc modo naturali) convenire cum Amico Londini habitante. Quin & datâ annihilatione, nihil impedit quo minùs de novo saltem creetur, cum quod factum est de nihilo, fieri iterum posse perspicuum sit. Ab *actu* enim ad *potentiam* nunquam fallit argumentum.

A. *Sed ponamus Corpus mortuum à Bestiis integrum devorari, consequenter autem in illarum substantiam facessere, num possit esse utrisque* idem numero *corpus?*

B. Hoc

B. Hoc quidem magnâ animi fidentia, & triumphi plenâ ante victoriam, à Ratiunculatoribus noſtris (parce lector vocabulo) urgetur, ſed quàm ridiculè parum attendunt.

A. Id velim patefacias.

B. 1°, Etenim, animadvertere minime videntur, nihil opus eſſe ut ad Beſtias eatur, magis quam ad Terram ipſam, cujus in viſceribus ſervanda deponuntur Cadavera, quoniam & ipſa [a] ſemper famelica ſatis devorat, inque ſui ſubſtantiam convertit; idque ex decreto divino, *Pulvis es, & in pulverem reverteris* [a] *Prov.* 30. 16.

2°, Non ſunt Beſtiarum Corpora reſurrectura (quod & ipſi concedunt) proinde à Corporum numericationis diſtractione nihil metuendum.

3°, Qualeſcunque aut ubicunque fuerint partes iſtæ rita devoratæ, eaſdem ſemper manere Contendimus, proinde de novo adunabiles.

A. Quid vero ſi devorata ſint Corpora ab Hominibus iſtis Carnivoris, quos Cannibales appellant, quomodo ſuum utrique reddetur Corpus in Reſurrectione?

B. Facilis

B. Facilis est, & ab antedictis præcipuè, solutio: ad quam

1°, Præmittatur, idem numero Corpus non ex eadem mole partium pendere, sic enim idem numero Corpus non esset Petri *Infantis* & *Adulti*, sani, & morbo *tabefacti*; quod valde absurdum foret. Dato itaque partes aliquas esse non devoratas modò, sed in nihilum redactas, eadem potest esse Corporis numericatio.

2°, Ponamus *totum* corpus devorari; perpauculum est quod assimilatur Corpori devorantis, hinc itaque nihil periculi est, ut devorantis & devorati *idem* dicatur Corpus.

3°, Hinc satis constabit, quod sicut vorax iste Cannibal, quantumcunque edat aut bibat, suo tamen vivit cum Corpore, suo moritur, in eóque olim surrecturus est, (quamvis ipso quoque ab aliis devorando) ita in reliquis tenere necessum est, cum nulla sit in rerum natura *annihilatio*, nulla deperditio materiæ: unde super toto facilis est Conclusio, ejusdem numero Corporis Resurrectionem non esse *impossibilem*, quod probandum ratione suscepimus, & de facto futuram Scripturis edocti firmiter credimus.

A. *Quis*

A. *Quis hujus Articuli ad praxin usus?*

B. 1°, Ne ex divortio corporis Animæque brevi futuro nimium percellamur, quin potius ad secundi, multóque beatioris connubii spem erigantur animi, scientes quod *Hoc Corruptibile* (ad speciem in nihilum redigendum) induet incorruptibilitatem, *Hoc mortale* immortalitatem.

2°, Ne de mortuis nimium contristemur amicis, quasi resurrectionis futuræ *spem non habentes*. 1 *Thess.* 4. 13, 14.

3°, Hinc (fidelium saltem) corporibus mortuis honesta debetur *sepultura*, idque non tantum ob debitam [a] virtutibus *memoriam*, sed in *spem* glorioſæ resurrectionis, quibus non convenit sepultura illa *Asini*, *Jer.* 22. 19. [a] *Act.* 8. 2.

4° Hinc etiam monemur, Corpora nostra, non modo viva, uti Templa Spiritus Sancti, ab omni peccati immunditie illibata servare, sed ut quæ mortua, Gloriæ palatia aliquando sunt futura. *Phil.* 3. 21.

Art.

Art. 12. Et VITAM ÆTERNAM.

A. *Quid intelligit Articulus per Vitam æternam?*

B. Non modo duratione *perpetuam* [a] (qualis etiã erit Impiorum ſed) ſupra quam aut [b] dici, aut cogitari poſſit, *glorioſam*; unde Reproborum ſtatus ille miſerrimus poſt mortem nunquam neque *vitæ*, nedum *æternæ*, nomine in Scripturis deſcribitur, at [c] Mortis ſæpe [a] *Mat.* 25. *ult* [b] 1 *Cor.* 2. 9. 2 *Cor.* 4. 17. [c] *vid. Apoc.* 2. 11. & 21. 8.

A. *Hinc tamen argutantur nonnulli Impios à morte ſtatim* annihilari, *& loca S. Scripturæ omnia, quæ Illorum* perditionem & ruinam *notant, ſubtiles huc trahunt.*

B. Hoc iſti nimirum velint magis quam Credunt, ſcelerum ſuorum incantamentis faſcinati, ſed rebelles hoſce contra Lucem in ordinem facilè lux ipſa coget; Lux inquam illa verbi, [a] Vermem *immortalem*, ignemque *inextinguibilem* diſerte toties pronuntiantis, imo *quinquies* eodem capite, idque totidem contiguis ferè verſibus; & peracto Judicio, pœnas manere Impios æternas docet (uti ſuprà) *Mat.* 25. 46. [a] *Mar.* 9. *à* v. 43. *ad* 49.

A. *Pæ-*

* vid optima memoria Hammondi tract. singulari de æternis Gehennæ cruciatibus.

A. *Pœnarum sanè æternitas hinc certò concluditur; hanc vero non respectu ejusdem* Individui, *sed specificam tantùm diversorum perpetua sibi serie* (priorib⁹ *annihilatis*) succenturiatorum *singularium vult Author quidam famosissimus, in quo etiam pœnarum Statu nihilo deteriorem fingit illorum Conditionem, quam in quâ reliquit Adamus, matrimonia scilicet Contrahentium, prolem gignentium &c. Leviath. c.* 44. *fol.* 345. 346. *Quid ad hoc Hominis dicendum?*

B. Hanc scilicet illius Theologiam (cujus & ipse primus *Fundator* extitit) *Belluam* istam *æternitatem coronatam* (semi-virumque, semi-piscémque) quam in Frontispicio Libri depingendam curavit, & *Regnum Tenebrarum*, de quo ibi delirat, maxime promovere; saltem ei parum debent Maritati, qui vitam Conjugalem *gehennæ tormentis* accensuit.

A. *Nullâ aliâ refutatione dignum censes?*

B. Plane nullâ, quicquid bellis suis Discipulis videatur: nam eadem prorsus conditione uti (quid ni gaudere dicam?) vult Impios post mortem, quâ nunc abutuntur in Terris vivi, *edentes, bibentes*, & *convivia* proculdubio cum choreis agitantes

gitantes, matrimonio copulatos, gignundæque proli intentos, atque hæc omnia inter summos Inferni *cruciatus*; quod quam non modo Atheum, sed ridiculum sit, *Et pueri norunt, nisi qui nondum ære lavantur.* nec istam sane circa Impios in orco suo Ethnicorum ullus (etiam dementissimus) insaniam unquam insanivit.

A. *Eo itaque Gehennæ suæ ludicræ relicto, qualis est piorum æternitas?*

E. Sanctissima, & sine omni peccati macula, [a] disiectis [b] ignorantiæ tenebris, cum luce mirâ & serenitate intellectus; [a] molestiis omnibus ærumnis & periculis procul posita, cum plenitudine gaudii in visione illa beatificâ, & voluptatum quarum nulla erit aut fenectus aut satietas in secula seculorum. [a] *Iph.* 5. 27. [b] 1. *Cor.* 13. 12. [c] *Apoc.* 21. 4. [a] *Psal* 16. 11.

A. *Ubi autem vita hæc æterna transigetur?*

E. Non in Terris (uti somniat nugator modo citatus *Leviath.* c. 38) quippe quæ cum Elementis, adeóque cælis naturalibus, diluvio illo igneo absorptæ, & absumptæ evanescent, 2 *Pet.* 3. 10. sed in Cælo Cælorum [a] apud Christum, in illo nimirum domicilio, non manu-facto, æterno

no in cælis; uti Apoſtolus 2 *Cor.* 5. 1. [a] *Johi* 14. 2. 3.

A. *Quid ex hoc Articulo practicè colligendum?*

B. 1° Vitæ hujus momentaneæ ſordeſcere debere omnia præ illius æternæ glorioſiſſimâ beatudine, quâ dignæ non ſunt aut *perpeſſiones* aut *Commoda præſentis ſeculi.* 2. *Cor.* 4. 17. 18.

2[b] Ut intentis ſemper ad vitæ æternæ metam oculis, ſtrenuè defungamur curſu *nobis præſtituto*, nullis viarum aſperis aut difficultatibus [a] animo concidentes: utque ubi laborum merces, ibi ſit [b] *converſatio* [a] 2. *Cor.* 4. 16. *&c. Heb.* 10. 35. *&c. Apoc.* 2. 10. [b] *Phil.* 3. 20.

AMEN.

A. *Quid hìc ſignificat* Amen?

B. Non videtur *optantis* eſſe, ſed potius aſſenſu maximè compendiario totam Symboli fidem claudentis & *Comprobantis*, quaſi diceretur, *Hæc omnia firmiter Credo.*

PRECATIONIS DOMINICÆ BREVIS EXPOSITIO.

A. CUm Agenda *omnia Decalogus*, Credenda *Symbolum Apostolorum summariè complectitur, nullámne sibi talem Apothecam* Petenda *obtinent?*

B. Maximè, in *Precatione* scilicet *Dominicâ.*

A. *Priùs vero quam istam in specie excutiamus, nôsse oportebit quid sit Precatio (uti ad Deum refertur)* in genere.

B. Precatio talis Christiana est Invocatio [a] Religiosa veri Dei, quâ aut bonum aliquod ab eo petimus, aut malum deprecamur. [a] Rom. 10. 14. Psal. 50. 15.

A. *Cum Invocationem dicis Religiosam, vis puto partem esse* Cultus *Divini.*

B. Videlicet, eamque præstantissimam, quippe quâ Deus se [1] delectari monet, [b] quæ reliquo ejus cultui, atque adeo toti Christiano πολιτεύματι [c] benedictionem è Cœlo devocat, quæ [d] jugiter exercenda, et constantissimâ Sanctorum praxi cum mirabili ejus apud Deum [e] virtute, passim commendatur: imo hinc universum quoque Dei cultum *synecdochicè* interdum designat. [a] *Prov.* 15. 8. Cant. 2. 14. [b] Psal. 19. 14. Mat. 14. 22. [c] vide Solomonis orationem in Templi Encæniis habitam, 1. Reg. 8. 1. Tim. 4. 5 [d] 1 Thes. 5. 17. [e] Jac. 5. 15. 17. 18. [f] Psal. 53. 4. & 79. 6.

A. *Quot sunt Species Precationis?*

B. Quatuor vulgo recensentur ex 1 *Tim.* 2. 1. viz. *Deprecatio* mali, [Μιναις] *Petitio* boni, *Intercessio* pro aliis, & Gratiarum Actio. Hæc autem novissima Precatio propriè quidem non est, etsi eam [a] comitari semper debeat, nec sine illâ [b] utilis esse possit Precatio propriè dicta. [a] *Phil.* 4. 6. [b] *Hos.* 2. 8. *Rom.* 1. 21. 24.

A. *Quem fructum ritè instituta adfert Precatio?*

B.

B. Quod petiit Boni. *Mat.* 7. 7. *Pſal.* 107. 13. 19. 28.

A. *An ergo piè Deum Invocantibus ſemper* datur *quod petunt?*

B. Datur quidem *ſuo* [a] *tempore*, idque [b] in ſpecie, ſi Deus eis *expedire* viderit (qui videt omnia) & cum exceptione, ut loquuntur, [c] *Crucis.* Si non *expediat*, non dando datur, & ex [d] *Gratiâ* Divinâ quod deeſt, cumulate penſabitur. [a] Hab. 2. 3. Pſal. 7. 34. 35. [b] 2 Reg. 19. 20. 1 Reg. 3. 11. 12, &c. [c] *Mar.* 10. 30. collat. cum *Joh.* 14. 1. [d] 2 *Cor.* 12. 8. 9.

A. *Sed multa conſequuntur bona etiam qui non invocant Deum, aut ſecus quam oportet, uti* Infideles & Profani.

B. Totus id [a] mundus clamat; ſed bona quæ dicis non ſunt hujuſmodi Hominibus [b] *ad Salutem* profectura, quanquam eò vel recalcitrantes [c] *exſtimulant*, & ingratos omni prorſus [d] *excuſatione* vacuos relinquunt. [a] *Act.* 14. 17. *Pſal.* 33. 5. [b] *Pſal.* 17. 14. [c] *Rom.* 2. 4. [d] *Rom.* 1. 20.

A. *Qualis itaque oratio eſſe debet, ut ſit accepta Deo?*

B. Talis ut neque [a] *malum* petat, ne-

que bonum [b] *malè*. [a] *Mat.* 7. 11. [b] *Jac.* 4. 3.

A. *Quid ex parte modi requiritur, ut Oratio sit* Deo *grata?*

B. 1. *Distincta* satis rei petitæ *scientia*; quâ caruere Filii Zebedæi, *Mar.* 10. 38. omnesque qui preces in linguâ sibi ignotâ deblaterant, 1 *Cor.* 14. 9. 16.

2. *Fidei* in *Verbo* Dei fundata. *Mat.* 21, 22. *Jac.* 1. 6. Hinc humi corruunt *Preces ad Sanctos* cœlites institutæ, quæ verbo nullo, aut promissione divinâ nituntur (ipsis quidem fatentibus sæpe Adversariis.)

3. Ut fiat unius *Christi* Mediatoris nomine, *Joh.* 14. 14. Facessant ergo preces quæ Sanctorum nomine, intercessionibus, & meritis ad Deum diriguntur.

4. Ut cum summâ fiat [a] *sinceritate, animi demissione*, & [b] *reverentiâ* Dei. [a] *Ps.* 78. 36. 37. [b] *Gen.* 8. 27, &c. 32. 10. *Apoc.* 4. 10. Hinc illorum excluditur arrogantia, qui *nimiam* Christianæ velo quidvis ferè quod in buccam venerit coram Deo *temere* profundunt, haud satis memores, *Deum in Cœlis esse, in Terris ipsos*, *Eccles.* 5. 2.

5. Ut [a] *Vivida, efficax*, & carbone ex altari accensa sit, non *somnolenta*, non [b] *labialis*, & *Dicis* tantum causâ, ab aliud agentibus

tibus recitata; Quales maximè conſpiciuntur in Papatu, ubi βαττολογίαν, tot ſcilicet *Pater-Noſtros*, *Ave-Marias*, & id genus preculas (minime intellectas) tacitè ſecum demurmurare, pro cultu Dei habetur. [a] *Jac.* 5. 16. *Pſal.* 62. 8. [b] *Iſ.* 29. 13.

Vltimò; ut *indefeſſa ſit*, & labaſcere neſcia. *Luc.* 18. 1. *Job.* 27. 10.

A. *Quotuplex eſt Precatio reſpectu precantium?*

B. Duplex, Privata (in Conclavi) Publica (in Eccleſiâ.)

A. *Ex iſtis, quænam eſt acceptior Deo?*

B. Comparationes ejuſmodi non ſunt temerè & ſine gravi cautelâ adhibendæ. Interim *Publicis* fidelium Conventibus (ubi res fert) permagnæ & (*a*) peculiares fiunt *promiſſiones*, luculenta exhibentur in Scripturis *elogia*, ſummoq; in eos (*c*) *affectu*, & deſiderio ſanctos exardeſcere palam eſt. (*a*) *Mat.* 18. 20. *Iſ.* 4. 5. (*b*) *Pſal.* 87. 7. (*c*) *Pſal.* 84. ad *v.* 3. & 122. 1. 2.

A. *Quid exiſtimandum eſt de* Statis *Precum* Formulis, *ſive Privatis, ſive Publicis?*

B. Privatas minimè ſaltem *in ſe* damnandas exemplo ſuo Chriſtus ipſe docuit; *eadem*, idq; quoad

quoad terminos, Precatione *ter* repetitâ. *Mat.* 26. 44. *Mar.* 14. 39. Privatim tamen cum Deo agentibus, si quâ pollent facultate sine formula idonea Orandi (id autem ipsi viderint) liberum relinqui nil vetat, si non ad *profectum pietatis*, certè ad majorem, ut fit, *rei convenientiam*, cum pié possint intra privatos parietes effundi desideria, quæ in publicum exire minus fortasse expediret, nec possit Formula, nisi in immensum excrescat, multigenis piorum necessitatibus, Deo interdum particulatim offerendis commodè prospicere.

A. *Pergè ad Preces Publicas.*

B. Eas quidem concepta verborum Formula adornandas, non permisisse modo, sed *præcepisse* videtur Christus, *Mat.* 6. *Luc.* 11. De hoc autem plenius in sequentibus.

[c] *Adde Ecclesiæ Judaicæ praxin apertè suffra-*
[c] *gantem, cui* Liturgiæ (*non divinissimæ tan-*
[c] *tum, sed & multo instructissimæ*) *vicem*
[c] *præstitit* Liber Psalmorum, *ut ex Titulis, &*
[c] *Doctorum Commentariis abundè constat. Vi-*
[c] *desis speciatim* Psal. 88. 92. *&* 106. *quò eti-*
[c] *am qui* למנצח, Præcentori, *inscribuntur a-*
[c] *pertè respiciunt. Confer.* 2. Chron. 16. 7, *&*
[c] 2. Chron. 20. 21. *Quinetiam in Precatione*
[c] *Dominica varia Christo placuit à* Synagogæ *formulis*

'*formulis mutuari: Testes vid.* Drusium, Cappellum, Grotium, Hammondum, Lightfootum, *alios; passim doctos; in* Mat. 6.

Quod autem ad Ecclesias Transmarinas *attinet, de* Gallicis *&* Belgicis *res notior est, quàm ut in dubium veniat, cum publicæ (in suis utraque linguis) extent illarum Liturgiæ. Quinetiam quæ rigidissimæ habentur Ecclesiæ utuntur Formulâ, diebus saltem* Profestis; *imo & Dominicis inde ordiri solent; Hoc autem de suis quique Ecclesiis Fide sua confirmarunt mihi* Poloni, Prussi, Hungari, *aliique* Oxoniæ *Studiorum gratiâ commorantes. De Ecclesiis autem* Lutheranis *nemo dubitabit. Sed de istis vide quæ scripsit Eruditus* Durellus, *libro singulari, haud ita pridem edito. Constare quidem videtur mihi, nullam omnino Ecclesiam Reformatam usque adeo in Formulas Precandi exardescere, ac nostri solent* Brunistæ, *& alii (Presbyteranos enim moderatius egisse ex suo liquet* DIRECTORIO, *sive Orandi Formula, ad quam etsi totidem terminis neminem adstringant, nemini tamen interdicunt, imò ut uterentur nonnulli, tacitè hortantur.)*

A. *Quorsum ex Præscripto in sacris Conventibus orandum?*

B. 1. quo signantiùs testemur *unitatem* Spiritus in toto Christi corpore singulisque membris

membris diffusam, ubi non ad sensum modo *generalem* (eumque defectu formulæ *lubricum* sæpe & in certum) attenditur, sed in eadem quoque verba (usu satis familiaria) pia animorum fœderatione conspiratur. Hinc etiam legitima authoritate in usum publicum munitæ, non unius Pastoris aut ministri, sed totius Ecclesiæ preces audiunt.

2. Hinc magis prospicitur rudioris *populi ignorantiæ*, qui orationem perspicuam & sibi notam majore cum fructu audiunt, quam *novam* indies & quasi peregrinam, nec satis intellectam. 3. Hinc obviam quoq; itur, uti Calvinus, *desultoriæ quorundam ministrorum levitati*, eorumq; infirmitatibus, qui *extemporaneæ* quam affectant facultati pares minime judicandi, multisq; aliis ejusmodi incommodis.

A. *Verum ex adversa parte urgeri solet* 1. *Quod à statis* Formulis *coarctetur* Spiritus Precationis, *& quibusdam quasi cancellis includatur.*

B. *Spiritus* ille precationis, ut personam in *S. S.* Triade designat, coerceri proprie non potest, sed ubi *vult*, *spirat*, & quod vult, facit. Interim tamen modo improprio, & ἀνθρωποπαθῶς vim quandam pati dicitur, cum gratiosè *trahenti* [a] obsistitur, aut agendi [b] modus

modus & tempus ei præscribitur, quorum neutrum facit præstituta Orandi Formula.

a *Act.* 7. 51. b *Psal.* 78. 41.

A. *Sumatur itaque Spiritus metonymicè, pro* effecto *Spirituali, quid habes?*

B. Cautè distinguendum erit inter *Gratiam*, & *Donum* precationis, deinde inter Donum verum, & *ementitum*, sive populariter æstimatum.

A. *Quid vis per Gratiam Precationis?*

B. Ea quidem in terminis habetur, *Zech.* 12. 10. *effundam spiritum Gratiæ, & Supplicationis*; qui locus si cum altero illo haud minùs decantato conferatur *Rom.* 8. 26. 27. clarissimè docet in quo constat Spiritus ille, sive Gratia precationis, nimirum in Animo ad orandum piè comparato, uti in ardore *Fidei, aspicient me quem transfixerunt. Zech v.* 10. in corde vera *resipiscentia* macerato & compuncto, *plangent super eum*, &c. ibid ad. fin. cap. *succurrit nobis spiritus gemitibus ineffabilibus, Rom. v.* 26. utroque loco spiritum habemus sive Gratiam Precationis, per pios Animi affectus delineatum, de *verbis*, nedum de facultate ulla *extemporali*, in utroque nihil.

A. *Cedo* Donum *Precationis.*

B.

B. Id in Homine Improbo reperiri nihil vetat; quod etiam esse potest, vel *infusum* scilicet & extraordinarium; vel *acquisitum*, & ordinarium. Priore gaudebant Apostoli, aliiq; in Ecclesia illâ primitivâ, quibuscum Gratia Precationis donum quoque superadditum. Posteriore, multos passim in Ecclesia recentiore claruisse non est dubitandum.

A. *Quid demum est?*

B. Habitus, sive facultas *congruè* orandi; sive sensibus bonis verba commoda, gestus, & affectus aptandi.

'Hoc autem Impiis convenire potest æque 'ac piis, quo (inter cæteros) blasphemum 'quoque Hacketum nostratem cum primis 'claruisse testis est ejus Historia, nequid dica-'tur de Temporibus *nuperis*, quorum cruda 'adhuc, & Gangrænam minitantia super-'sunt vulnera.

A. *Quid autem voluisti per Donum* ementitum *Precationis*?

B. Tale, quod reverentiâ numinis & *Prudentia* Christianâ vacuum futili verborum sive *prolixitate*, sive *clangore* se prodit, quo populo placeat. Hoc autem Infirmitatibus humanis potiùs quam Donis Divnis annumerandum.

A.

A. *Nonne vero Spiritus Infirmitatibus Orantium auxiliatur* verba ipsa *suggerendo*?

B. De istis altum silentium; tria vero alia supradictis attexit Apostolus effecta Spiritus; Unum *generale*, ut orent fideles κατ' ὃ δεῖ, quemadmodum oportet, duo reliqua magis specialia. Primum est precandi *ardor*, ex delictorum pravitate, & læsi numinis reverentia genitus, στεναγμοῖς ἀλαλήτοις, gemitibus infandis. Secnndum est, ut oratio nuspiam à verbi tramite in phantasmatum devia abripiatur, sed intra Voluntatem Dei consistat. Intercedit enim κατὰ τὸν θεὸν, secundum Deum, vel Dei Voluntatem.

A. *Nullum ergo locum in Sacris Ministrorum precibus concedis?*

B. *Imo*, possunt cum magno fructu adhiberi (& in omnibus Ecclesiis Reformatis adhiberi constat) Si primo formulæ *publicæ priores* dentur partes. 2o Ne quid ei adversum petulanter proferatur. 3o Ut vitata prolixitatis tædio & inanibus quasi *coccysmis* cum omni *gravitate*, haud secus ac ζῆλος, animiq; *intentione* res tota peragatur.

A. *Quorsum vero Christus Precationem istam suo nomine ornatam præscripsit?*

B.

B. Non tantum ut esset *exemplar*, sive modulus (isq; omnium perfectissimus) ad quem conformandæ sunt fidelium Preces, sed ut ipsa Precationis absolutissimæ vicem in Ecclesia obtineret.

A. Quomodo hoc efficitur?

B. 1 Ex verbis ipsius Christi, quæ neq; apud Matthæum neq; Lucam sonant necessario [*In hunc modum, After this manner*] sed apud illum ὕτως, quod de ipsa formula ἀυτολεξὶ usurpanda exponi potest; & Lucas simpliciter ac disertè habet, λέγετε, dicite, non hoc vel illo *modo*, sed *dicite* precantes eadem *ipsamet* verba, quæ statim sequuntur.

2. Hoc plus quam suadere videtur *occasio* (*Luc.* 11. 2.) a Luca memorata, unde Orare doceri à Christo peterent discipuli; nimirum quia suis quoque discipulis idem præstiterat Iohannes; Hoc autem (prout temporis & collapsæ religionis ratio tunc ferebat) certa eum aliqua precatione perfeciſſe dubitari non potest, qua veluti *tessera* ab aliis sui Gregis homines internoscerentur.

A. Cur itaque inter precandum aut non semper recitatur Oratio Dominica, aut ulla auditur alia?

B.

B. Precationem opinor esse *Liturgicam*, & *publicis* Ecclesiæ conventibus præcipuè destinatam; proinde semper in Ecclesia sonare oportere; ita tamen, ut ab usu quoque magis privato, ubi res postulat, minime excludatur.

A. *Unde eo potissimum fine adornatam colligis?*

B. Non solum quia numero plurali enuntianda præscribitur, Pater *noster*, Da *nobis*, &c. quod Orantium cætum aliquem innuere videatur; sed quia Iohannis (uti aliorum quoq; tunc temporis Doctorum in Ecclesia Judaica) Precationem statam, & Liturgicam fuisse verisimilimum sit. Si enim (ut [a] nonnulli volunt) Iohannes tantum compendium daret rerum orandarum, non autem ipsa *verba* in tam corrupto Ecclesiæ statu, quomodo rudiorum ignorantiæ consuleretur tali compendio, non facile intelligitur.

[a] Mirum est aliter sentire Grotium in *Luc.* 11. sed rem satis perspicuam reddidit ex Hebræorum magistris, Lightfootus Cantabrigiensis in Horis suis Hebraicis, multa ejusmodi eruditione refertissimis. Vid. ad *Math.* 6. 6.

A.

A. *Cur itaque ulla auditur alia præter Orationem Dominicam?*

B. Qui hanc præscripsit, alias minimè excluſit, modo ad hanc Orandi Normam dirigantur.

1 Quia hæc ſumma tantum Orationis capita complectitur, quam ad particulares fidelium neceſſitates plerumq; dilatandam & Ratio, & [a] praxis Piorum docet.

[a] Qua libus abundat ſcriptura precibus, Vid. *Gen.* 32. 11. Solomonis orat. 1. *R.* 8. Pſalm. paſſim. *Act.* 4.29. 30. *Eph.* 6. 19. &c.

2. Quo magis acuatur Orandi *ſtudium*, Precationi generali ſpecialibus quoq; ſuperadditis. Teſtem hic appellamus communem (præcipuè fidelium) *ſenſum* & *experientiam*.

A. *Quo demum ſermone concipiendæ ſunt Preces Publicæ?*

B. Eo nimirum qui vulgò à toto Cætu intelligi poſſit, ſicq; ad totius Eccleſiæ ædificationem, ſine qua erunt ſaltem ut reſonantis æris, & Cymbali tinnientis ſtrepitus. Quod verbis minimè ambiguis docet Paulus contra impiam & inſulſam Romanæ (quæ dicitur) Eccleſiæ conſuetudinem 1 Cor. 14.

A:

A. *Quot partibus generalibus conſtat Oratio Dominica?*

B. Tribus, Compellatione nimirum *præfatoriâ*, ipſo Orationis *Corpore*, & Concluſione *doxologica*.

A. *Dic Compellationem iſtam quam vocas Præfatoriam?*

B. Ea hæc eſt,

PATER NOSTER, qui es in COELIS.

A. *Cur ibi ſtatim compellatur Deus Pater noſter?*

B. 1. Quò tantâ [a] nominis dulcedine omnis Deum adeundi lucta animiq; diffidentia nobis eximatur, utq; *intrepidi* accedamus ad Thronum Gratiæ, cui Pater nimirum Cœleſtis inſidet, Parentes quoſcunq; terrenos propenſâ in Filios voluntate, & viſcerum teneritudine ſupra gradum & comparationem omnem [b] exuperans. [a] *Matth.* 7, 11. *Rom.* 8. 15. [b] Is. 59. 15. confer cum Iſ. 65. 24.

2. Ne orantes in alio *Spem* ponamus quam in ipſo; hoc enim eſſet aut *cœli Terræq;* Domino facultatum [a] *inopiam*, aut [b] Patri *miſerationem* ἀσπλαγχνίαν & auſteritatem minime

minimè *Paterham* exprobare. [a] *Isa.* 51. 12. 13. *Psal.* 50. 10. 11. [b] 2. *Cor.* 1. 3.

3. Ut in *Christi* unius nomine Patrem adeamus, ad quem in eo solo, per Fidem, aditum cum fiduciâ habemus; *Eph.* 3. 12.

A. Quid hoc admonet cum dicimus Patrem Nostrum?

B. Paternæ scilicet erga Sanctos Dilectionis affectum intercedere oportere, utq; eis, [a] quâ licet, & nostris maximè [b] precibus, [c] semper subsidio simus. [a] 1 *Iohn.* 3. 16. [b] *Rom.* 1. 9. & c. 15. 30. [c] *Act.* 12. 5. vid passim in Epist. Paulinis, & in Mosis intercessionibus pro Populo Israelitico, &c.

A. Cur dicitur Pater qui est in Cœlis, quem neq; Cœlum Cœlorum continere queat? 1 *Reg.* 8. 27.

B. Vid. *Enchirid* cap. 3. Hic autem admonemur, *ne Patrem* compellantes, *Cœlestem* obliviscamur, sicq; Filiorum fiducia Creaturarum absorbeat Reverentiam. Eccl. 5. 1. 2. confer cum *Gen.* 18. 27. & c. 32. 10.

A. Perge ad Corpus Orationis Dominicæ, *quot illa constet Petitionibus?*

B. Planè senis, quarum singulæ, (uti par est) Dei opt. max. gloriam respiciunt, sed

ſed tres priores *directè* & *immediatè*, poſteriores *ex obliquo*, nempe quatenus ex bono humano reflectitur omnis ad Deum gloria.

A. Da *primam.*

B. SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

A. *Quid hic per nomen* Dei *intelligendum?*

B. Deus ipſe, quocunq; nobis nomine innoteſcat. *Exod.* 34. 5. 6. 7.

A. *Quid eſt Sanctificari Deum?*

B. Non ullâ Sanctitatis de novo *acceſſione* Sanctum fieri (ut pote cui [a] nomen ab æterno eſt, SANCTUS, idq; ter conjunctim à Præconibus illis Cœleſtibus, *Iſ.* 6. repetitum) ſed *auguſtum* & *Glorioſum*, ſuæ demum congruenter infinitæ Majeſtati venerandum ab omnibus, cogitato æſtimari, dicto, factoq; ubivis prædicari. [a] *Iſ.* 57. 15.

A. *Quid autem à nobis præſtandum eò confert?*

B. Ut omnia in Deum [a] pietatis officia, eoq; adminicula quæcunq; conducentia [a] (à ſe nimirum [b] *præſcripta*) diligenter excolamus, ad ejus unius Gloriam [c] in omnibus (veluti ad ſcopum) collimantes. [a] 1.

1 *Cor.* 6. 20. 1. *Pet.* 3. 15. 16. [b] *Math.* 15. 9 1 *Cor.* 10. 31.

A. *Quænam verò ſunt iſta magis ſpecialia Deum Sanctificandi adminicula?*

B. Omnium ejus *Inſtitutionum* pia & diligens obſervatio, earum verò potiſſimùm quæ in [a] *publicis* Eccleſiæ conventibus celebrantur, quales ſunt *Auditio verbi*, *Precationes Publicæ* cum *Gratiarum* actionibus, *Sacramentorum* uſus, & *Sabbati* (ſive Diei Dominicæ) Sanctificatio. [a] *Levit.* 10. 3. *Pſal.* 89. 7. 1 *Cor.* 11. 17.

De Sanctific. nominis Divini vid. Enchirid. ad Decalogi præcept. 3.

A. *Quænam eſt ſecunda petitio?*

B. ADVENIAT REGNUM TUUM.

A. *Quid eſt Regnum Dei?*

B. Vox quidem diverſimodè in Scripturâ capitur, proinde,

1. Regnum Dei vel eſt *generale*, vel *ſpeciale*, illud ad [a] omnes ubicunq; locorum Creaturas extenditur, hoc in [b] *Eccleſiâ* ſpeciatim exercetur. [a] *Pſal.* 103. 19. [b] *Apoc.* 15. 3. *Pſal.* 2. 6.

2. Speciale (quod & *Regnum Cœlorum* in *N. T.* Sæpe dicitur) eſt vel *Gratiæ* ſcilicet

ſcilicet, ſive *inchoatum*, vel Gloriæ, perfectum, & conſummatum.

A. *Quid eſt Regnum Gratiæ?*

B. Eſt quo Fideles colligit, inſtituit, gubernat, & protegit in Chriſto Deus.

A. *Nonne varias hoc quoq; ſignificationes induit?*

B. Certè, nam notat

1, Metonymicè, Regnum *in nobis*, Juſtitiam ſcilicet (cujuſcunq; generis) *Pacem*, & *Gaudium* in Spiritu Sancto *Rom.* 14. 17. & *Luc.* 17. 21. Iſta enim in Fidelium Cordibus ſuaviſſimo imperio ſuo efficit atq; operatur Deus, prout vult.

2, Eſt Regnum Gratiæ *extra nos*, eoq; deſignatur, vel,

1, Status Eccleſiæ *Evangelicus* (qui & [b] *mundus futurus*, & Tempus *noviſſimum* dicitur,) aut ſi malis ipſum *Evangelium* per Chriſtum, ejuſq; Apoſtolos & miniſtros Orbi prædicatum, quod *Regni Verbum* nuncupatur. *Mat.* 13. 19, quippe in hoc ſtatu maximè elucet [a] vis illa & Dominium Dei planè [f] mirificum in Corda Hominum per efficaciam Spiritûs cum præconio Evangelii

[a] *Luc.* 23. 51. [b] *Heb.* 2. 5. [c] *Heb.* 1. 2. 1 *Ioh.* 2. 18. [f] ita in cap iſto parabolico,

Mat. 13. f *Rom.* 1. 16. 2 *Cor.* 10. 4.

2, Ipſam notat Eccleſiam ſub hoc ſtatu Evangelico collectam, quo ſenſu *minimus in Regnò Cœlorum* (*i. e.* Eccleſiâ Evang.) major Iohanne Baptiſta dicitur, *Mat.* 11. 11. utpote qui Solem illum Juſtitiæ mox tantum *oriturum* indigitavit, quem *ortum* & è ſublimi coruſcantem oſtendunt Præcones Evangelii.

A. *Quos Subditos habet hoc Regnum, quos Hoſtes?*

B. Subditos homine & *titulo* tenus permultos, *Re* paucisſimos, uti toties monuit Scriptura, omniumq; ſeculorum ſuffragatur experientia. *Mat.* 7. 13. 14. *Phil.* 2. 20. 21. aliiſq; locis in numeris.

A. *Quos autem vocas Re Subditos?*

B. Qui hoc non *ore* tantum fallaci profitentur, ſed reapſe præſtant; qui Deum ſine dolo colunt, ejuſq; per omnia Imperio conſtanter, & ſtudioſè, idq; *ex animo* obſequuntur. *Rom.* 6. 17.

A. *Dic hujus Regni Hoſtes.*

B. Hi ſunt e Diabolus cum ſuo Tenebrarum ſatellitio, cum omnibus apertè Impiis & Hypocritis, in quibus Princeps

ille

ille *mundi hujus* [c] *efficaciter operatur*, quiq; conjunctis cum eo Copiis Regnum Dei, quâ *fraude* & [d] Cuniculis ſuis ſubruere, quâ *e aperto* Marte vexare & negotium ei faceſſere (quanquam [f] irrito conatu) indeſinenter ſudant & ſatagunt. [a] *Apoc.* 12. 7, 8, 9. *Eph.* 6. 12. [b] *Ioh.* 15. 18. 19. *Gal.* 4. 29. *Eph.* 2. 2. *Apoc.* 12. 9. [d] *Eph.* 6. 11. & *chap.* 4. 14. [e] *Apoc.* 12. 12. & *chap.* 12. 15. [f] *Pſal.* 2 ad v. 7.

A. *Quid eſt Regnum Gloriæ?*

B. Inquo Deus æternum [a] glorioſiſſimè regnabit cum Sanctis ſuis Angelis & Hominibus in Cœlo Cœlorum. [a] 1 *Cor.* 29. collat. cum 2 *Cor.* 12. 4.

A. *Quid autem eſt Regnum Dei advenire?*

B. Multa continent hæc petitio, idq;

1. *In genere*, ex parte Dei ipſius, ut Dei Regnum (quo nunquam caruit, nec carere poteſt) ſupra omnem Creaturarum ſive potentiam ſive faſtigium magis magiſq; (præſertim in Eccleſiâ) eluceſcat, & finem ſuum ſuo tempore perfectum conſequatur.

2. Ex parte *mediorum*, ut electos ſibi ante ſecula cognitos perducat Deus ad cognitionem veritatis ſalutarem in Chriſto, ut in ea indies proficiant Spiritûs ſui ductu, auſpiciis verbi, & Sacramentorum miniſterio

ad

ad finem usq; vitæ, tandemq; debellatis circumquaque Hostibus glorioſi cum eo in Cœlis triumphent.

A. *Cedo tertiam Petitionem.*

B. FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN COELO, SIC ET IN TERRA.

'Nihil est quod in Græco particulæ *Sic* 'apertè respondet, neq; apud Matthæum, 'neq; Lucam 5 non enim dicitur ὅτω ϗ, sed ϗ 'simpliciciter, quod tamen hoc loco vim ha-'bet ὑποδότως, notante Clar. Grotio, idemq; 'obtinere Rom. 5. 12, necesse est; aliàs hiul-'ca & suspensa erit periodus; ibi siquidem ϗ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θανατὸς idem valet atque ὅτω ϗ: sic enim sensus teres atque rotundus efficitur.

A. *Quid hic intelligitur per voluntatem Dei?*

B. Non illa quæ est Essentiæ Divinæ *facultas*, ceu verius ipsamet *essentia* (absit enim ut hoc fieri oremus, quod æternaliter ex necessitate fuit) sed *metonymicè*, utque pro voluntatis effectu libero accipitur, sive actum volendi, sive rem volitam intelligamus.

A. *Quotuplex autem est voluntas Dei, ut actum voluntatis liberum designat?*

B.

B. Distingui potest primo in voluntatem *permissivam* & *effectivam*: Permissio autem vel est ex parte *Juris*, vel *Facti* tantum; ex priore nascitur Hominibus agendi vel non agendi *Jus* & Potestas legitima, quæ in rerum adiaphorarum usu cernitur; ex altera oritur tantum *posse agere*, non impediente Deo, qui id semper nullo potest negotio; sicque permittuntur res malæ, quà tales, neq; eas aliter *vult* Fons ille bonitatis.

A. *Quotuplex est voluntas effectiva?*

B. Ea quoq; duplex est, [a] *Decreti*, vel *præcepti*; sub priore continetur voluntas, quam nonnulli vocant *Providentiæ*, qua Deus omnia, quæ fecit, de [b] voluntatis suæ sapientissimo consilio, in ordinem à se *præfinitum* disponit, moderatur, & gubernat. [a] Psal. 33. 11. Is. 46. 10. [b] Eph. 1. 11. vid. Enchir. c. 4.

A. *Quænam est voluntas Præcepti?*

B. Eadem illa quæ verbo Dei Scripto Hominibus præstanda significatur. Hæc autem usitatè dicitur Voluntas quam Deus vult *nos facere*, sicut illa Decreti, quam vult *de nobis fieri*, vel quam Ipse vult facere.

A. *De quâ voluntate intelligitur Petitio?*

B.

B. De utraq; , ſuo tamen modo diverſo, De voluntate Decreti & Providentiæ, nobiſq; *ſecreta* prorſus & incognita, ut fiat [a] quodcunq; Deo viſum fuerit, eoq; ſapientiſſimo quo viſum *modo* (ceu in bonos ceu malos) vias Dei [b] inveſtigabiles & juſta judicia nobis adorantibus, eiſq; [c] ſine *murmure* animiq; tumultu, ubi carni adverſabitur, humillime cedentibus, utq; in pietatis profectum faceſſant omnia ſedulo curantibus [d]

a 2 *Sam.* 15. 26. *Act.* 21. 14. b *Rom.* 11. 33. c *Pſal.* 39. 2. *Lev.* 10. 3. d *Pſal.* 119. 67. 71.

A. *Quid habes de voluntate Præcepti?*

B. Eam non ferre modò, ſed *facere* debemus, *Pſal.* 119. 4 idq;

1. Per [a] *omnia*, obſequium minimè partientes inter Deum & Cupiditates noſtras, quà finit [b] imbecillitas naturæ, & quà juvat vis Gratiæ [a] *Pſal.* 119. 6. b *Gal.* 5. 17. 2 *Cor.* 6. 1.

2. [a] *Alacri* & [b] *conſtante* animo, mandata ejus minimè gravia reputantes, 1 *Joh.* 5. 3. a *Pſal.* 119. 32. b *Pſal.* 119. 112.

3. [a] Proficientes in Gratiâ, quoad abſorbeatur in Gloriam. a 2 *Pet.* 1. 5. & 3. 18.

A. *Sed quomodo faciemus miſeri Peccatores voluntatem Dei, ſicut Angeli, & Spiritus Juſtorum perfecti in Cœlis?*

B.

B. Hoc non est *sicut æqualitatis*, sed *similitudinis*: eorum scilicet obedientiam æmulari saltem debemus, quam in statu hoc Mortalitatis assequendo non sumus.

A. *Quid ergo poscit hæc Petitionis clausula?*

B. Quod ante indicavimus, ut nempe *prompti* simus ad jussa Dei quæcunque capessenda, *fideles* & *strenui* in opere Domini, uti monet *Apost. 1 Cor.* 15. 58, *Psal.* 103. 20. hinc etiam alati describuntur Angeli, *Is.* 6. *Ezech.* 1. *&c.*

A. *Perge ad quartam Petitionem, sive primam earum quæ Bonum Humanum peculiariter & proximè respiciunt.*

B. Ea quidem his verbis continentur,

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

Hanc Naturæ Petitionem eleganter (& suo solens more) appellat Clar. *Andreas* noster Episc. Vinton. in suâ Precationis hujus expositione; nec immeritò, cum omnium non modò Animaliũ Oculi ad Deum intenti sint, ut de suæ benignitatis Quadrâ pascantur, sed *Terra* quoquè Ipsa cum suis Fructibus siticulosa & famelica Deum eo sine

'sine Invocare dicitur; imò & *Cœlum* quo-
'que, ut tanquam Dei *Oeconomus*, habeat
'unde alimentum flagitantibus miniſtret.
Hoſ. 1. 21, 22.

A *Cur Orationis Dominicæ meditullium tenet iſta de Bonis Corporalibus Petitio?*

B. De hoc apertè nil docuit Chriſtus; ſed inde factum videtur quo infirmitati noſtræ pro ſua miſericordia magis ſubveniret, ad ſpiritualia minus [a] erectæ, niſi ſtatim quoque Bonorū adſit Corporalium proſpectus, ſimulque erudiret Pietati tum [b] *Hujus tum futuræ vitæ promiſſa fieri.* [a] *Mar.* 14. 40. collat. cum *v.* 38. [b] 1 *Tim.* 4. 8.

A. *Cur dicitur Deo*, Da nobis?

B. 1. Quoniam bona omnia [a] Dei ſunt, & noſtrum [b] nihil. [a] 1 *Chron.* 29. à *v.* 11. ad 15. [b] 1 Cor. 4. 7.

2. Ad augendam Filiorum fiduciam erga Patrem Opt. Max. uti ante diximus.

A. *Quid hic* Panis *ſignificat?*

B. Ex more Hebræorum non omne modò [a] alimentum, ſed *neceſſaria* [b] quæcunq; vitæ ſubſidia. [a] Gen. 3. 19. [b] Pſal. 41. 9. collat; cum Joh. 13. 18.

A. *An ergo rerum iſtarum nil petimus niſi*

ut

ut ad manum ſint, nudam videlicet præſenti am ?

B. Imò *Benedictionem* præcipuè divinam, ſine qua Lapidem porrigas an [a] Panem nihil intereſt; non enim ſolo pane vivitur, ſed omni verbo quod exit ab ore Dei, docente *Moſe* cum Salvatore, Mat. 4. 4. [a] Hag. 1. 6. Mal. 2. 2.

A. Quem vocas Panem Noſtrum ?

B. Quem noſtrum fecit Deus (Bonorum omnium largitor [a] legitima aliqua ratione à nobis acquiſitum. Panis itaque *vi, fraude*, aut aliis quibuſcunq; comparandi mediis illicitis fermentatus, Noſter non eſt. [a] Pſal. 128. 2.

A. *Quis autem eſt Panis* quotidianus ?

B. Omne illud, quo præſens vita opus habet, quodque neceſſitatibus ejus quotidianis ſufficit.

[c] De voc ἐπιούσιον in Græco Textu (quæ per [c] *quotidianum* exponitur) mirum eſt quas [c] ſibi Cruces fixerunt etiam viri doctiſſimi, [c] fortaſſe quia non alibi, ut puto, legitur. [c] *Hieronymus* quidem in Hebraico Nazaræorum codice ſcriptum aſſerit מחר i.e. craſtinum, cui prorſus aſſentitur *Grotius*; At [c] in editione *Munſteri* (monente Zegero) pro [c] מחר eſt תמיד quod juge ſive continuum [c] notat

notat eo nimirum sensu, quo Panes Propositionis qui semper in conspectu Domini (i. e. in mensa Aurea ad lævam Altaris aurei exponebantur) לחם התמיד i. e. panis *continuus* appellantur, *Num.* 4. 7. Qui negant ab ἐπὶ Grammaticè derivari, quique ab ἐπιὼν (subauditur ἡμέρα) *Crastinum* significante trahunt, cum debita tantis nominibus reverentia, perinde hallucinari suspicor. Quod enim priores argumentantur, si ab οὐσία deduceretur, scribi non oportere ἐπούσιον, sed ἐντόσιον, istius quidem pronunciti nullam reperio demonstrationem. Licet enim in ἀνυπέρβατος ἀνυπερβάτως (& si qua sunt similia) hoc obtineat, non lege tamen perpetua, ut in ἄλογος, ἀόμματος, ἄθικτος, &c. abundè constat, ubi ultima particulæ vocalis non eliditur. Imo quidni (ut propius ad vocabulum accedamus) non ἐπούσιος, æquè ac πεπούσιος, ἀμούσιος (quod idem fateor ἀμούσιος legitur)

Illis autem qui ab ἐπιὼν profectum volunt libens cederem, si vel unum succurreret *exemplum*, ubi Adjectivum formatur à Participio fœminino. Dum hoc constiteri t, ab οὐσία deducendum omnino arbitror, idemq; notare quod *accedens ad substantiam*, quæ scilicet in horas jugi opus habet *accessione* alimenti,

ᶜ alimenti, unde non malè interpretatur *Caſtalio* panem *alimentarium*.

ᶜ Nam quod aliqui *ſupereſſentialem*, & *ſuperſubſtantialem* exponunt, ignorare me fateor quidni tum potius diceretur ὑπέρουσιον, ᶜ etſi tamen (cum nonnullis haud) ſimpliciter ᶜ negarim ἐπὶ in compoſitione ita commodè ᶜ interdum ſignificare (ſed rarò admodum) ᶜ ut in ἐφίππιον, ἐπιφωσκούσην; *acceſſionem* verò ᶜ notare frequentiſſimè palam eſt. Urget fateor quod à viro doctiſſimo objicitur, *accedens ad ſubſtantiam* non ἐπούσιον, aut ὑπέρουσιον, ᶜ ſed ὑπερουσιῶδες à *Platone* dici; & ſic quidem ᶜ *puriſſimè*, nullus dubito: ſed an hoc in Sacris Scriptoribus anxiè urgendum ſit, cordatis judicandum relinquo; ſufficit iſta ᶜ paucis monuiſſe.

A. *Cur adjecit Dominus in Oratione*, hodiè, *apud* Lucam καθ' ἡμέραν?

B. Ne rerum ſecularium avidi, aut ſpes, aut vota noſtra in longum nimis extrahamus, ſed de *craſtino* parum [a] niſi quantum poſcit vocatio noſtra [illegible] ſolliciti, ab eo ut omnis Boni vivo fonte firmiter & toti pendeamus. vid. *Mat.* 6. à commate 25 ad finem. [a] 1 *Tim.* 5. 8. *Eph.* 4. 28.

ᶜ Huc autem (inter alia ſine dubio ſpecta-

ᶜ Panes illi propoſitionis (de quibu ſpaullò

ᶜ ſuperiùs

ſuperiùs) quò ſuæ nimirum erga illos beneficentiæ (præſertim in Deſerto exhibitæ) populum ſuum Deus commonefaceret, ſimúlque doceret, unde Panem ſuum cotidianum expectare in poſterum quoque deberent.

A. *Quid hic itaque docemur petere?*

B. Quod *ſufficit*, non quod *ſuperfluum* eſt; idque pro *ſtatu* & vocatione noſtra in qua Deus nos collocavit, [a] quatenus ſcilicet in noſtrum ipſorum bonum *ſpirituale* cedat, & nominis ſui Gloriam; utque [b] præſentibus *contenti* & *gratanter* acquieſcamus. [a] *Prov.* 30. 8. 9. [b] 1 *Tim.* 6. 8. *Phil.* 4. 11. *Job.* 1. 21.

A. *An ergo licet petere Divitias, aut Seculi Dignitates, aut plus quam quod neceſſitatibus noſtris per omnia ſufficiat?*

B. De eo quod Sufficit, æquum eſt ut quem rogamus Deus *Judex* ſit [a] unicus, ſed quod *nobis* [b] *Bonum* eſt à precibus noſtris (*in genere* ſaltem) excludi nihil debet; imò rogandus eſt Deus ut etiam non petentibus (*in ſpecie*) iſta largiatur. [a] *Prov.* 30. 8. [b] *Mat.* 7. 11. [c] 1 *Reg.* 3. 13.

A. *Sed de Specie potiſſimum quæro, utrum ſcilicet hujuſmodi ad Deum oratio Chriſtianum deceat, imo aut tacitum in Corde votum,* Da mihi Divitias *&c.*

Nihil

B. Nihil hic difficultatis eſſet, niſi quod Surdo, ut fit, canendum ſit Ventri, & hydrope tumentibus debellanda cutis: nam

1, Adeo Sanctorum neminem in Sacris Scripturarum monumentis iſta petiiſſe legimus, ut contra *Solomonem* magnifico Deus Ipſe ornarit Elogio, quod nullum in votis ſuis, etiam cum eo maxime *invitari* videretur, locum inuenerint, 1 *Reg.* 3. vid. & *Pſal.* 4. 6.

2. Quia Bona hæc temporalia, cum *mediæ* (*moraliter*) ſint naturæ, nihil prorſus ad Beatitudinem Chriſtianam *per ſe* faciunt, imò [a] *vanitatis* plena (ex Carnis vitio) [b] multis ſæpe graviſſimiſque periculis Animam illaqueant, cujus teſtis nimis locuples eſt cujuſque ſeculi *Experientia*. [a] *Eccleſ. cap.* 2. à comm. 8. ad 12. [b] *Mat.* 19. 22. 1 *Tim.* 6. 9, 10.

A. Sed obſtare videtur iſta Jacobi *Benedictio ab* Iſaaco *Patre impertita*, *Gen.* 27, 28, 29. *ubi Deum orat*, *ut* Filio Rorem Cœli, pinguedinem Terræ, *& huſuſcemodi alia condonaret.*

B. Iſta quidem pro Filio rogavit Pater, non pro Se ipſo. Sed

1, Aliam eſſe Veteris, aliam N. Teſtamenti quoad promiſſa *temporalia* conditionem

nem *Circumstantialem* ab omnibus conceditur, quæ tamen [a] spiritualia quoq; involuta continebant. [a] *Heb.* 11. à *v.* 13 ad 17.

2. Tota ista Benedictio *mystica* fuit, & *prophetica*, non tam Filii *personæ* quam *posteris* ejus, partim [a] *Carnalibus*, partim *Spiritualibus* (toti nimirum [b] Israeli Dei) accommodata [a] *Lev.* 20. 24. [b] *Gal.* 6. 16.

3 Quod ad ipsum Jacobum attinet, asserendum est Isaacum spiritu Prophetico prævidisse, ei omnia in Bonum *Spirituale* cessura. vid. *Gen.* 27, 29. 33.

A. *An ergo oblatas licet accipere Divitias?*

B. Si ab eo qui jus & potestatem habet conferendi, nihil impedit, quia sic à manu ipsius *Dei*, licet interventu Hominum, porriguntur. Secus habet in iis qui *non oblatas* [a] enixe *ambiunt*, jam satis fortasse saginati, (idq; mediis sæpenumero illicitis, & viro honesto parum dignis) hoc enim non est à Deo *expectare*, sed *vi rapere* Divitias, quibus proinde nulla [b] benedictio promittitur [a] *Is.* 56 11. [b] *Eccles.* 5. 10. *Hos.* 4. 18.

A. *Num denique Paupertas est expetenda?*

B. Neq; ista, quippe quæ & sua sæpe habet incommoda gravissima, *Prov.* 30. 9. Quin potius cum soli Deo innotescat quid nobis

nobis maxime expediat, hæc omnia Patris Cœleſtis conſilio cum ſummâ animi tranquillitate, & in Deum fiduciâ permitti par eſt; Interim hoc obnixe rogandum eſt, ut ſive *abundemus*, ſive rerum inopia *arctemur*, in utroq; (imò in omni ſtatu) glorificetur in nobis Deus.

A. *Pergamus nunc ad quintam Petitionem.*

B. Sic illa ſonat, REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS &c.

A. *Quænam iſta ſunt Debita, quorum hic petitur Remiſſio?*

B. Peccata, exponente Lucâ, *c.* 11, qui tamen in clauſulâ petitionis alterâ vocem ὀφειλοντι retinuit, cum, ſi perfectam voluiſſet ἀποδοσιν dixiſſet potius ἁμαρτάνοντι ἡμῖν ἡμᾶς. Uterq; Debiti peccatores monent.

A. *Cur autem Debitorum nomine deſignantur peccata?*

B. Quia reatu nos obſtingunt apud Dei tribunal, ejuſq; [a] Legi ſimul & [b] Juſtitiæ Debitores conſtituunt, dum quod ſuum eſt ipſi non ſolvimus, neq; unquam nomina diſpungendi ſpes eſt, niſi per veniam & gratuitam in [c] Chriſto remiſſionem, [a] *Col.* 2. 14. *Gal.* 3. 10. [b] *Rom.* 3. 25. 26. [c] *Act.* 4. 12.

A. *An itaq; omnia hic intellguntur peccata?*

A. Ita, quanquam [a] graviſſima & quantumcunq; [b] numerus excreverit: vox enim indefinita hoc loco æquipollet univerſali, Idq; tum

1. Ex parte Dei, qui dives eſt miſerationum, quiq; nomen hoc dulciſſimum ſuum ex ore ſuo perſonare voluit, JEHOVAH, JEHOVA DEUS, *miſericors*, & *Gratioſus, condonans iniquitatem, tranſgreſſionem*, & *Peccatum* (i.e. peccatum *omne* cujuſcunq; claſſis, quocunq; demum nomine cenſeatur) *Exod.* 34. 6. 7. [a] *Iſ.* 1. 18. vide & Pauli de ſe inſtantiam, 1 *Tim.* 1. à comm. 13 ad 17. [b] *Mat.* 18. 24. 27. 32.

2. Ex parte noſtri, qui, ſi totius Debiti vel [a] quadrans unus inſolutus hæſerit, perimus, in Carcerem detrudendi, unde nulla redemtio. [a] *Mat.* 5. 26.

A. *Sed quomodo Juſtificatis, quorum jam ſunt remiſſa peccata, quadrabit hæc petitio?*

B. Juſtificatis non *actu* remittuntur peccata, niſi *præterita*, Rom. 3. 25. ſæpius itaq; indies novis obnoxii delictis, novã flagitandi remiſſionem & locus relinquitur, & incumbit [b] neceſſitas. [a] Pſal. 19. 12. & 40. 12. [b] 1 Reg. 8. 46. 47.

De

De Remissione Peccatorū vid Enchirid. c 7.

A. *Quid hæc docet Petitionis clausula?*

B. 1 Sensum imbecillitatis & miseriæ nostræ acutissimum, qui continuatâ peccatorum remissione opus habemus, neq; si Deus nobiscum intraret in Judicium erecti staremus. *Psal.* 130. 3.

2. nihil apud Deum proficere preces, nisi factâ nobis delictorum gratia. vid. Solomonis precationem 1 *Reg.* 8. *Is.* 1. 15. &c.

3. Hinc uberrima cum Fide & pœnitentiâ vera orantibus consolationis scaturigo, quod toties & tam graviter delinquentes hortatur Christus Deum ut *Patrem* Invocare, & fidenter dicere, *Remitte nobis debita nostra.* vid. argumentum à minore, *Mat.* 18. 21. 22. *Ier.* 3 1.

A. *Cur adjecit Dominus.* SICUT ET NOS REMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

B. Quoniam nisi faciles ad ignoscendum Ipsi simus, queis tantulum debetur, lege Talionis (idq; jure merito) nobiscum aget Deus, cujus Justitiæ nos nostraq; debemus omnia, *Mat.* 6. 14. vid. parab. Debitoris, *Mat.* 18. *Non escitanter prætreunda est mira ista* Epana-

phora proleptica, *quâ redit Dominus ad hanc Petitionis clausulam*, Mat. 6. 14. *finitâ enim precatione statim subjungit*, ἐαν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις, &c. *quæ cum proximè præcedentibus* v. 13. *nullo gaudent Societatis vinculo, quod tamen (ad vitandum sensus ἀσύμφωνον) omnino poscere videtur particula causalis*, γάρ. *Sed hac locutione tacitæ objectioni occurrit Dominus; durum enim videretur (quæ Carnis est ad vindictam pronitas) offensarum veniam à Deo petere ea lege, sicut & nos condonamus injurias nobis illatas, id enim esset* timidè *rogare: absoluta igitur precatione objectionem istam (quod ante fieri commode non potuit) quam Cordium Scrutator in animis ipsorum quoq; Discipulorum orituram facile deprehendit, illico pessundat; quasi diceret, istam scio Orationis partem non ad modum ad gustum Carnis facturam, at necesse est ut illa quoq; deglutiatur, nam si remiseritis Hominibus*, &c. *Hic itaq; necessitatem τῦ ἀντισυγγνῶναι in suorum animos quasi clavum trabalem adigit & infigit Christus.*

A. *Quomodo autem remittendæ sunt nobis Fratrum erga nos offensæ?*

B. Magna hic opus est Cautelâ, ut ne ad dextram deflectamus aut sinistram: nam

1. Nostrum omnino non est remittere *culpam*, cum hoc unius sit Dei, (uti diximus in Symbolo) Interim vero Deum animitus rogare ut culpa quæcunq; demum in

in nos fuerit, gratioſè condonetur, Chriſtianam plane decet Charitatem, 2 *Tim.* 4. 16.

A. *Quin eodem cap. Alexandro Ærario longè alia precatus eſt Apoſtolus*, v. 14.

B. Sic, ut Apoſtatæ, quem tradiderat Satanæ, 1 *Tim.* 1. 20. quique ex *obſtinatâ* animi perverſitate non tam Pauli perſonam quam ipſum Evangelium rabidè impetiverat (*vehementer enim reſtitit Sermonibus* ejus. *v.* 15.) Reliquos illos ex Carnis *infirmitate* lapſos facile judicabit charitas.

A. *An vero non licet Apoſtatæ Salutem Deo precibus noſtris commendare?*

B. Diſtinguendi ſemper ſunt Infirmi à præfractis, & malitia in Evangelium fermentatis; Pro Infirmis Apoſtolum orare modò oſtendimus, ſicut & Chriſtus Ipſe pro iis qui cæco impetu, non certa Perſonæ ſcientia, pretioſiſſimum ejus Sanguinem fuderunt. *Luc.* 23. 34.

A. *Quid ergo ſiquis ex altè incocto in Chriſtum, ejuſq; Evangelium odio, nuncium religioni remiſerit?*

B. Hoc Soli Cordium Scrutatori, & cuicunq; is revelaverit, certo perſpectum eſſe poteſt, proin hic cavendum maxime, ne

ne judicium de quoquam præcipitemus, ſed quantum ſinit ratio, charitatem ſemper exerceamus, ac Patris cœleſtis exemplo (prout Ipſe jubet) miſericordes ſimus. Sed cum interdum accidit ut deplorata quorundam malitia haud ſecus apparet acſi Dominus eam digito monſtraret (quod indubiè vidit in Alexandro Paulus) non video quî pro talibus *abſolutè* orandum ſit, quin potius judicio Dei ſunt relinquendi, qui etſi facillimè poſſit, perrarò tamen ejuſmodi ſcelerata capita ad *pœnitentiam* revocat. Huc omnino facit locus iſte *Heb.* 6. à commate 4 ad 10, & Iohannis illud, *eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roges*, 1 Ioh. 5. 16.

vide *Calvin* in 1 *Joh.* 5.

Notiſſimum eſt ex veterum monumentis quam atrocia in Traditores *&* Transfugas *edita fuerint Exempla.* Quadriennii, ſexennii, *imo interdum &* decennii *macerationes pro benignitate & clementia habebantur. Concil. Ancyranum* (*quod mireris*) *ad* tricennium *uſq; in quibuſdam caſibus protruſit,* (*can.* 16,) *nec ante ad communionem Eccleſiæ* plenam (*i.e. tum* Orationis, *tum* Sacramentorum) *denuò receperunt. Iidem tamen à Novatianorum Hæreſi, qui lapſis poſt Baptiſmum quicunq; pœnitentiam abjudicabant* (*ex malè ſcilicet*

Concil. Nicæn Cann. 11, 12. *Ancyran.* 4. 5. 6. 8. 9.

ſcilicet intellecto iſto Epiſt. ad Hebr. loco, cap. 9.) *longiſſime ſejuncti.*

A. *Sed è diverticulo in viam; oſtende quomodo dicantur Homines in ſe admiſſas remittere injurias.*

B. De culpa, perſpicuum eſt Humanum hanc tranſvolare Forum, ſicut & pœnam æternam. De pœnâ itaque *civili* potiſſimùm quæritur, quæ cum ſit *publica legis obligatio* (quanquam *ſecundaria*) privato nemini concedendum eſt *Jus pœnæ*, neque ſcilicet in cauſâ *propriâ*, neq; *aliena*, cum in neutra ſit *Judex*; ſed [a] *Dei miniſtris* Principibus, eorumq; [b] *Deputatis* relinquenda omnis vindicta. [a] *Rom.* 13. 4. [b] 1 *Pet.* 2. 14.

A. *Dic itaq; quouſq; & quomodo vindictam petere liceat à magiſtratu, ita ut integra ſervetur lex Charitatis à Chriſto præſcripta.*

1. Non in [1] *levioribus* injuriis, quas potius privatim & amice componendas, aut tacitè devorandas ſuadebit pietas Chriſtiana; niſi forte uſq; adeo repetantur & *excreſcant*, ut *publicam* honeſtatem lædere videantur, aut perſonarum lædentis, & læſæ conditio valde inæquàlis pœnam repoſcat. *Creſcit enim cum perſona delictum.* Mat. 5. 39 &c. 1 *Cor.* 6. 4. &c.

Quin

Quin 2o, in *gravioribus* injuriis palam est Magistratum adeundi copiam à Deo fieri, quippe qui *ad hoc constitutus* est (ut supra, *Rom.* 13.) veluti si quis Parentem, Filium, imo aut quemvis alium contra leges *occiderit*, si Domum *incenderit*, Bonis *spoliarit*, aut honesti nominis quempiam *conviciis* & falsis Criminationibus censuræ & ludibrio exposuerit, aut si tale aliquid interminatus fuerit.

A. *Sed* ulsciſci *peccata*, *&* remittere, *diversum sonant.*

B Pœna proprie debetur Magistratui, sed privato cuiq; quod suum est, aut *in specie* scilicet, aut *valore*. Hinc qui suum, (rem semper intelligo momenti) nil ultra, repetit, idq; animo *rigore* omni & *inimicitia* vacuo, parti semper lædenti quantum in se fuerit, pietasq; postulat, benefacere cupiens, dum Magistratus ex munere ulsciscitur, remittit ipse peccatum.

A. *Quid de Debitis* pecuniariis *existimandum, ubi quis (non suopte potissimum vitio) solvendo haud fuerit?*

B. Debitoris est *nemini quicquam* libenter *debere*, præter Amorem, & bona fide cum Creditore agere [a] *Rom.* 13. 8.

Quod

Quod ſi in eas forte inciderit anguſtias, ut Debitum diſſolvere nequeat, *prudentiæ & charitati* Chriſtianæ iſta relinquenda, quæ omnem in Creditore pudefacient rigorem, ſimulque Rationis, quam Deo redditurus eſt Ipſe, terrorem incutiet.

A. *Qualiter itaq; comparatos eſſe decet, ut hanc cum cæteris Petitionem ad Deum intrepidè dirigamus.*

B. Animo miti, & procul à vindictæ œſtro, ad Iram tardi, ad ignoſcendum faciles & propenſi, inimicis benevoli, & bene facientes, illorum deniq; Animarum ſalutem Deo toto corde commendantes, & quantum in nobis fuerit, ſeriò promoventes.

A. *Audiatur ultima Petitio.*

B. Ea ſic habet. Ne nos INDUCAS in TENTATIONEM, ſed LIBERA nos à MALO.

Hanc petitionem in binas nonnulli diviſere, quo pacto Septem Totius Orationis Petitiones numerant; ſed obſtat non modo particula adverſativa ἀλλὰ, quæ quod proximè anteceſſit, omnino reſpicit, ſed & Ipſa utriusq; clauſulæ communis materia, *quæ eſt à malo liberari, idq; ne inducamur in tentationē, contra quam orandum non eſſet*

esset nisi ut rem malam, & minime expetendam. Ordo certe petitionis observatione dignus, quod proximum ab ea quæ est de Remissione peccatorum, locum obtinuit. Unde admonentur Fideles, ne ita de peccatis præteritis (Christi sanguine per Fidem ablutis) triumphos agant, quin ad nova semper subeunda certamina se accingant, nec pacem cum Hostibus cis Cœlum somnient.

A. *Quid hic significat Tentatio?*

B. Vox mediæ significationis est, sed hoc loco usurpata in partem *sequiorem*. Notissimum est *in genere* idem valere quod probare, explorare, sollicitare, &c. quovis modo, in finem sive bonum, sive malum. In specie dividitur in Tentationem Divinam, Humanam, & Diabolicam.

A. *Quin apertè negat Apostolus Deum tentare quenquam*, Jac. 1. 13.

B. Intelligendus est de tentatione ad *peccatum*, cujus merito fomitem omnem & culpam in peccatores ipsos ibidem rejicit Apostolus, qui prava extimulante concupiscentiâ in omne nefas suopte impetu prolabuntur.

A. *At reclamare videtur tota ferè Scriptura, quæ Deum dicit* excæcare, indurare, pravis cupiditatibus tradere, *&c.*

B.

R. Hoc juſto Dei permittentis, quin & Gratiam *ſubtrahentis*, judicio fit, quo Homines ex propria ipſorum *Concupiſcentia* jam excæcatos, induratos, cum petulante faſtidio Gratiæ (multimodè & multoties *oblatæ*,) in impietatis ſtudio[a] proficere ſinit ad meritiſſimam illorum perniciem; non quod Ipſe Author ſit peccati, ſed Ultor. [a] *Pſal.* 81. 12. *Rom.* 1. 16.

Rogandus eſt lector, ut Calvinus *audiatur, qui tam atrociter in hoc Argumento vapulare à quibuſdam ſolet. Verba ſunt in dictum* Jacobi *locum. Duo, inquit, ſunt hic notanda: Nam cum Scriptura Excæcationem, vel obdurationem cordis Deo tribuit, neque illi initium aſſignat, neque facit mali Authorem, ut culpam ſuſtinere debeat. Et mox, Scriptura Reprobos à Domino conjici ait in pravas Cupiditates; an quia Dominus cor eorum depravet, vel corrumpat? Minimè, ideo enim ſubjicitur pravis deſideriis, quia jam corruptum & vitioſum erat. An Vero cum excæcat, vel indurat Deus, peccati Author eſt, vel Miniſter? Imò hoc modo peccata ulciſcitur, juſtámque mercedem Impiis rependit, qui Spiritui ſuo regi abnuerunt. Sequitur ergo neque peccati originem eſſe in Deo, neque illi culpam imputari poſſe, quaſi ex malis voluptatem capiat. Summa eſt, fruſtra tergiverſari Hominem, qui vitiorum ſuorum culpam*

paratus rejicere in Deum conatur, quia non ex alio fonte perveniat quicquid eſt malorum, quam ex perverſa hominis concupiſcentia. Atque ita ſane res habet, non aliunde nos impellit, ſed cuique pravum ſuum affectum eſſe Ducem ac Impulſorem. Hæc Ille; qui Vir ob eximias animi dotes (ab Adverſariis quoque Pontificiis admirationi habitas) totque devoratos in Eccleſiæ bonum labores, ſi, ut fit, Hominem ſe alicubi oſtendit, meruit ſaltem ab omnibus, qui Reformati audire volunt, honeſtiùs atque mitiùs tractari, tantique nominis carnificinam Lanionibus potiùs Romanenſibus (qui Artem profitentur) relinqui par eſſet.

A. *Quænam ergo eſt illa tentatio divina?*

B. Ea duplex eſt, altera nudæ *Explorationis*, altera *Correctionis* & diſciplinæ paternæ.

A. *Utramque explica.*

B. Tentatio Prima eſt *Explorationis*, ſive ἀπειρασία, qua Deus Fidelibus tum exercendæ tum palam exhibendæ (quam largitus eſt eis) Gratiæ materiam & quaſi ſegetem ſuppeditat. Ita Patrem Fidelium tentaſſe legitur ad immolandum *Iſaacum* ſuum, *Gen.* 22. 1. *nunc enim inquit novi quod times Deum*, v. 12. non quod Deo ignota ante fuerat

Servi

ſervi ſui Fides, ſed quod illuſtri teſtimonio palam omnibus feciſſet. Idem de *Jobo* ex parte ſentiendum; ex parte inquam, nam ipſo tandem confitente tali opus habuit vir Sanctus *medicina*, c. 42. 5. 6.. Eodem quoque modo ſanctiſſimos tentavit Apoſtolos, omnimodis perſecutionibus & calamitatibus objectos, quo divina in illis Gratia (ſicut Auri, in Fornace probati, nitor) magis effulgeret.

A. *Expone tentationem* Correptionis, & *Diſciplinæ.*

B. Iſta eſt, qua Deus ut Pater, Fideles ut Filios caſtigat, præcipuè ob emendationem vitæ, teſte paſſim Scripturâ.

A. *Perge ad tentationem humanam.*

B. Ea ſcilicet duplex eſt, Prima eſt *Activa*, quâ Homo Deum tentat ad [a] *extraordinaria* potentiæ, bonitatis, Juſtitiæ, aut veracitatis ſuæ edenda ſpecimina, de quâ dicitur, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, Mat. 4. 6, 7. Sic *Iſraelitæ* ſæpe in deſerto. Nec in totum excuſari poteſt *Gideon*, Jud. 6. Sic omnes Impii, qui Spiritus & verbi ſui ductum rebelles aſpernantur. [a] *Mat.* 12. 39. [b] *Num.* 14. 22. Altera *Paſſiva*, quâ Homo tentatur à ſeipſo, ſive Concupiſcentiâ ſuâ, *Jac.* 1. ſub hac inhabitante ingemiſcunt Pii, regnante [b] obdurantur

durati insolescunt Impii. [a] *Rom.* 7. 24. [b] *Eph.* 4. 19.

A. *Quæ demum est tentatio* Diabolica?

B. Quâ ut *Serpens*, astutia, & blanditiis; ut *Leo*, minis & furore suo tentat (Fideles potissimum) ad peccandum [a] 2 *Cor.* 2. 11. [b] *Apoc.* 12. 12.

A. *Quid ergo hic petimus?*

B. 1. Ab omni tentatione Diabolicâ liberari, quia ista ex se semper in malum tendit, etsi facile sit Deo vertere [a] in bonum. [a] *Luc.* 22. 31, 32.

2. Non est absolutè petendum à tentationibus *divinis* liberari, sive tanquam in *pompam* virtutum cedant, sive pietatis profectum, sed ne nos Ipse *inducat* in tentationem, *i. e.* ne tentet [a] in Irâ nisi *paterna*, nec supra *modum*, & *vires* nostras; [b] ut denique in omnibus sufficiat nobis Ipsius Gratia, quæ exitum tentatis fœlicem præbeat. [a] *Jer.* 10. 24. *Psal.* 6. 1, [b] 2 *Cor.* 12. 8, 9.

A. *Sed tentationes etiam Divinæ (quales sunt Piorum in hac vita calamitates & ærumnæ) deprecandæ videntur, quoniam & naturæ adversantur, & sunt peccati merces.*

B.

B. Hoc quidem probat non esse expetendas *in se*, sed neque simpliciter deprecandas, quatenus à Patre cœlesti proficiscuntur, qui facit ut omnia se diligentibus *operentur in bonum*; & quamvis hoc faciant *per accidens*, non scilicet ex *naturâ suâ*, sed ex *dispositione paterna*, tamen quovis modo divinitùs adhibito promoveri gloriam Dei, nostramq; ipsorum salutem, absit ut hac petitione deprecemur. *Jac.* 1. 2, 3.

A. *At Christus Ipse oravit*, Transeat à me Calix iste, *Mat* 26.

B. 1. Non simpliciter, sed *si fieri potest*, & cum Epanorthosi, quà se piè submisit divinæ voluntati; *nihilominus*, *non quod Ego volo*, *sed quod Tu vis*.

2. Longe alia erat conditio Christi, alia nostra. Illi luctandum erat cum *Justitiâ Divina*, quæ ei minime pepercit (etsi non ob peccata sua) *in die Iræ suæ*: nobis ut cum clementissimo *Patre* semper res est; Illi tunc temporis, ut cum severo *Judice*.

A. *A quo malo liberari petimus cum dicimus* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ?

B. 1. A *Diabolo*, qui est & ὁ πονηρὸς, & ὁ πειράζων. *Mat.* 13. 19. & *c.* 4. 3.

2. Ab omni prorsus *afflictionis* malo, ea tenus

tenus, ut ne aut gravitate aut mora [a] ſuperet *vires*, ut [b] cedat in *bonum*, ut [c] *patienter* & *ſtrenuè* feramus, ut demum cum ſuavi ſenſu paterni [d] affectus in Deo ſemper condiatur. [a] 1 *Cor.* 10. 13. [b] *Gen.* 50. 20. *Phil.* 1. 19. 20. 2 *Sam.* 16. 12. [c] *Heb.* 12, 5. [d] *Pſal.* 119. 75. 2 *Cor.* 7. 6.

3. (Idq; præcipuè) ab omni peccato *regnante*, ſine quo [a] exercere quidem multa, [b] nocere nil poterit. [a] *Heb.* 12. 11. [b] 1 *Pet.* 3. 13.

A. *Supereſt ut cum clauſulâ illa Doxologicâ ſermonem abſolvas.*

B. Ea autem hæc eſt, Quia tuum eſt REGNUM, & POTENTIA & GLORIA in SECULA SECULORUM, AMEN.

A. Magnifica ſane Coronis! quid autem ſibi vult?

B. Ut (cum Recognitione Orationis Præfatoria) Bonitatem omnem, Potentiam, atq; Divitiarum plenitudinem Deo jure meritiſſimo tribuat, quò ſiquid aculei habent aut Patris viſcera, aut Glorioſiſſimi Regis imēnſum robur, & æterna Dominatio, ad extimulandam Filiorum fiduciam, intrepidè ad eum accedamus; ſimulq; admoneat quis debet eſſe precum noſtrarum ſcopus, & in quem omnis deſigenda ſpes eſt, ut vota conſequamur.

[illegible]

A. Sed Regno, potentia, & Gloria fulgent etiam Principes mundani.

B. Sic est; at horum quantuscunque splendor est tanquam cicendulæ ad Solem; imò *nihilum, & minus nihilo*, ut Prophetæ *admiranda* illa utar elegantiâ *Is.*40.17. quod satis innuit Articulus *Emphaticus*, ἡ βασιλεία, ἡ δύξα, &c.

A. Ostende instantiis aliquot discrepantiam.

B. 1. Regnum Dei est simpliciter Universale: neq; enim Terræ modo universæ, sed Totius quoq; Creationis idem & Factor & Dominus sit necesse est, qui in omnibus facit quodcunque vult. *Psal.* 135. 6.

2. Reges & Principes Terræni non nisi ab eo, idque jure plane *feudatorio*, vel potius ut ejus Proreges & ministri Regna sua quæcunq; possident & administrant, qui ea quoque dat quibuscunq; vult. [a] *Psal.* 72. 11. [b] *Rom.* 13. 4. [c] *Dan.* 4. 17. Unde & Regis Regum & Domini Dominantium sibi Stylum vendicat.

3. Regni ejus Finis non erit, sed reliquis in nihilum subsidentibus, Illius est Regnum & Potentia & Gloria in SECULA SECULORUM vid plura ad Petit. 2.

A.

A. Quid hîc particula notat, AMEN?

B. Est & vox Optantis, qua ratum esse quod petimus ardentius, & velut ex abundanti, rogamus; & vox quoque per fidem *assentientis*, quâ nos exauditum iri propter Dominum Jesum Christum nihil dubitamus. Huc facit primævæ praxis Ecclesiæ, 1 *Cor.* 14. 16.

ERRATA.

Absente Autiore, & operarum Typographi incuriâ multa passim in hâc Operis parte occurrunt σφάλματα. Graviora hic notavimus, reliqua pro candore suo condonabit, uti speramus, & corriget Lector.

Pag. 2. l. 16. lege *delictis*. ibid. l. ult. *Judicium*. p. 8. l. 1. post (*modo*) deest (*habet*) p. 30. l. 1. *sepultura*. p. 13. l. 3. *unum*. ib. l. 23. post *verum* pro (.) pone (:) p. 14. l. 16. *Heamanticum*. ib. l. 19. μυστηριώδη. p. 25. pro 13 lege 3. p. 34. l. 14. pro 3. 5. lege. 25. 4. p. 42. l. 21. lege *eum* p. 56. l. ult. post (*amicis*) deest (*solent*) p. 64. 1. post (*anima*) deest comma; unde sensus obscuratur. ib. l. 4. *cygneam*. p. 76. l. ult. pro *Rom.* 9. 9. lege 1. *Pet.* 3. 22. p. 84. l. ante penult. *glorioſum*. p. 177. l. 16. lege, εἰς ἰμᾶς. p. 180. lege *possunt*. p. 185. l. 1. lege *inciderit*.

FINIS.

STACK